QUAESTIONUM DE PROVERBIIS APUD AESCHYLUM SOPHOCLEM EURIPIDEM

CAPUT I.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IV. MENSIS APRILIS A. MDCCCLXXXVII

HORA XII

UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES KOCH

REGIMONTANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

O. SCHULTZ, CAND. PHIL.

FR. HOHNFELDT, STUD. THEOL. ET PHIL.

REGIMONTI PR.

TYPIS LIEDTKIANIS.

MDCCCLXXXVII.

ARTHURO LUDWICH

PROF. PVBL. ORD. ACAD. ALB.

PRAECEPTORI CARISSIMO

D.

AUCTOR.

Proverbiorum vim quanti aestimaverint Graeci, cum ex crebro eorum usu nec in ullo litterarum genere contempto intellegitur tum inde quod iam veteres viri docti de iis disputare coeperunt. Omnibus facem praetulit Aristoteles Stagirita, qui non indignum arbitratus est persona philosophi proverbia colligere explanareque. Sed longum est nomina eorum enumerare, qui post hunc philosophum pro diversa studiorum ratione diversa secuti consilia de proverbiis disseruerunt: praesertim cum nullus de hac re liber a. Chr. scriptus aetatem tulerit. Hauserunt autem ex illorum scriptis paroemiographi, qui saeculis p. Chr. altero et tertio floruerunt, Zenobius et Diogenianus Heracleota, quorum libri nobis praesto sunt. Tum tradita habemus ignotorum auctorum collectanea, quae in codd. Vaticano, Bodleiano, Coisliniano continentur, de quibus Schottus in edit. Gaisford. p. XIX praefatus est. Praeterea in manibus nostris versantur leviter compilata collectio proverbiorum Plutarcho Chaeronensi falso attributa, denique quae aetate medii aevi Gregorius Cyprius, Macarius Chrysocephalus, Michael Apostolius, Arsenius ex superioribus excerpserunt. De ratione inter singulos hos paroemiographos intercedente et de origine operum eorum genuinaque forma aetate nostra viri docti disputaverunt nixi codicibus manu scriptis nuper repertis collationibusque aliorum. Crusius, qui scripsit „Analecta critica ad paroemiographos Graecos“ (Lips. 1883) in ultima commentationis suae pagina composuit libros ad

paroemiographos pertinentes. Quae Schneidewinus in praefatione corp. paroem. de singulis paroemiographis eorumque scriptis docte uberrimeque contulit ex recentioribus sunt corrigenda vel supplenda.

Editiones paroemiographorum has habemus: A. Schotti, qui Antverp. 1612 ex Zenobio, Diogeniano, Suida adagia collegit. Nostro saeculo in lucem prodierunt editio Gaisfordiana Oxon. 1836 continens praefationem Schotti, proverbia e codd. Bodleiano et Coisliniano, tum Diogeniani et Zenobii; et Gottingensis, quae inscripta est: Corpus Paroemiographorum Graecorum ediderunt Leutsch et Schneidewin; complectitur autem tom. I (1839 emissus): Zenobium, Diogenianum, Plutarchum, Gregorium Cyprium, Appendicem proverbiorum; tom. II (ed. 1851): Diogen. cod. Vindobonensis, Greg Cypr. codd. Leidensis et Mosquensis, Macarium, Aesopum, Apostolium et Arsenium, Mantissam proverbiorum. Arsenii Violetum primum edidit Walz, Stuttgart 1832.

Neque vero paroemiographi neque Desiderius Erasmus Roterodamus, qui Parisiis 1571 „Adagiorum [et Graecorum et Latinorum] Chiliades quattuor cum sesquicenturia" congessit commentariisque instruxit, multa autem dicta operi suo inseruit, quae numquam proverbiorum locum obtinuisse constat, copiam ingentem proverbiorum in aerariis litterarum Graecarum occultorum effoderunt. Quam vero gratum utileque eiusmodi studium sit, in legendo commentariolo, qui inscriptus est „über die Sprüchwörter der alten Griechen", ostendit K. Zellius *) (Ferien-Schriften I, p. 91 sqq, Freiburg 1826).

*) Cf. Becker: „Das Sprichwort in nationaler Bedeutung." Wittenberg. Progr. 1851. — Creuzer in Münch. Gel. Anz. 1844, No. 146—149. — Grasberger: „Die griech. Stichnamen." 1883², p. 1—4.

Nec tamen prius omnium proverbiorum Graecorum conspectum habebimus, quam quae apud singulos auctores inveniuntur excerpta et tractata erunt. Itaque si quis nostris temporibus in excutiendis proverbiis studium suum operamque collocat, eam viam ingrediatur necesse est, ut imprimis scripta auctorum veterum ipsa perlustret secundumque locum assignet paroemiographis et grammaticis. Nec desunt qui partem huius operis absolvere coeperint: Schwidopius conspectum proverbiorum a Luciano usurpatorum composuit in Progr. Gymnas. Kniphov. Regim. 1850. Parum subtiliter egit, usurpata perversa partitione (— discernit enim vir doctus „populäre“ et „literarische Sprichwörter“ —), Lingenbergius de: „Platonische Bilder und Sprichwörter“ in Progr. Fridr.-Wilh.-Gymn. Col. Agripp. 1872. Rohdewaldius scripsit: „de usu proverbiorum apud Aristophanem“ in Progr. Gymn. Burgsteinfurt 1857 — cuius commentationis vitia satis explicuit Bauckius, qui disputavit: „de proverbiis aliisque locutionibus ex usu vitae communis petitis apud Aristophanem comicum.“ Regim. 1880. Cuius viri docti summa cum diligentia scripta dissertatio quid me docuerit, infra indicabo.

Eadem incitavit me, ut proponerem mihi proverbia apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem et in tragoediis superstitibus et in fragmentis obvia enucleare atque tractare.

Qui vero huiusmodi opus suscipit spinosis implicatur quaestionibus. Ac primum quidem statuendum erit de origine vocis *παροιμία*: quoniam autem Bauckius p. 4 diserte ac copiose de hac re disseruit, satis sit apposuisse eius summam; facit enim vir doctus cum Bergkio (Griech. Lit.-Gesch. I, p. 363) et G. Curtio (Griech. Etym. p. 399, 401) aliisque consentibus, vocem *παροιμία*

compositam ex *παρὰ* et *οἴμη* (similiter atque *προοίμιον*) significare versum ultimum carminis qui comprehendat praeceptum totius fabulae, quam Graeci vocant *αἶνος*.

Tum quaeritur quae sit vis vocis *παροιμία*. Quod quam difficile sit explicatu, inde apparet, quod ex magno numero definitionum et ab veteribus paroemiographis et ab viris doctis aetatis nostrae prolatarum nulla vulgo recepta probataque est. Illas composuerunt Rohdewaldius, Lingenbergius, Bauckius, harum exempla elegit Wanderus in „Deutsches Sprichwörter-Lexicon", Bd. I, 1867, Einl. Adeo non his addam aliam definitionem, quae certe non magis placeret criticis quam mihi illorum satis faciunt, ut ad utiliora me convertere malim. Etenim ante omnia statui opus est, quaenam dicta sint proverbialia iudicanda: neque in universum de hac re disseram, sed evolvere studebo, quibus indiciis proverbia sive locutiones proverbiales — neque enim hae ab illis sunt discernendae —, quibus Aeschylus, Sophocles, Euripides usi sunt, possint cognosci. Nemo non videt difficillimum hoc esse: perlustrans opera linguae nostrae proverbia continentia multa invenies, quae tu quidem minime proverbialia habebis, multa desiderabis tuo judicio proverbiis assignanda. Quid mirum? ut populorum instituta et opiniones semper mutantur, ita aliis temporibus alias sententias proverbialiter esse tritas nonne patet? Quin etiam singulae gentes et urbes sua habent proverbia. Quanto autem difficilius erit hodie spatio viginti trium circiter saeculorum interposito excutere adagia, quae in ore Graecorum illis temporibus cotidie versata sint!

Ad agnoscenda proverbia multum valent hi loci Aristotelici: apud Synes. Encom. Calvit. p. 85 B: *παλαιᾶς εἰσὶ* (sc. *αἱ παροιμίαι*) *φιλοσοφίας ἐν ταῖς μεγίσταις ἀνθρώπων φθοραῖς ἀπολομένης ἐγκαταλείμματα, περισω-*

θέντα διὰ συντομίαν καί δεξιότητα. Rhet. II, 21: ἔτι ἔνιαι τῶν παροιμιῶν καὶ γνῶμαί εἰσιν, ibid. III, 11: καὶ αἱ παροιμίαι μεταφοραὶ ἀπ' εἴδους ἐπ' εἶδός εἰσιν. Quid autem sit metaphora, idem docet Poet. 21: μεταφορὰ δέ ἐστιν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ ἢ ἀπὸ γένους ἐπὶ εἶδος, ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ γένος, ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ εἶδος, ἢ κατὰ τὸ ἀνάλογον. Cf. Apostol. praef. § 4: παροιμία ἐστὶ . . . . . ἢ ῥῆμα τετριμμένον τῇ χρήσει τῶν γε πολλῶν, ἀπό τε μικρῶν τινων καὶ ὀλίγων ἐφ' ὅμοια πλείω καὶ μείζω μεταληφθῆναι δυνάμενον. Accedunt testimonia veterum auctorum. Itaque hunc conspectum indiciorum proverbia ostendentium componere licebit.*)

I. Tragici ipsi indicant speciem proverbialem:

a. addentes: ὥσπερ ἡ παροιμία (Aesch. Agam. 264, Soph. frgt. 262, Eur. frgt. 664),
sive: ἀλλ' ἔστ' ἀληθὴς ἡ βροτῶν παροιμία: Soph. Aiac. 664.

b celebrantes sententiae vetustatem:
e. gr.: τριγέρων μῦθος τάδε φωνεῖ: Aesch. Cho. 313.
παλαίφατος δ' ἐν βροτοῖς γέρων λόγος: Aesch. Agam. 750.
λόγος μὲν ἔστ' ἀρχαῖος κτλ: Soph. Trach 1.
ἀεὶ δ' ὑμνούμενα: Soph. Aiac. 292,
πάλαι μὲν οὖν ὑμνηθέν: Eur. Phoen. 438,
παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει: Eur. frgt. 25,344 (coll. 511).

c. laudantes ignoti auctoris sapientiam:
e. gr.: ἦ σοφὸς ἦ σοφὸς ὃς πρῶτος ἐν γνώμᾳ τόδ' ἐβάστασε καὶ γλώσσᾳ διεμυθολόγησεν: Aesch. Prom. 887sqq.

---

*) cf. C. Schulze: „Ausdrücke für [deutsches] Sprichwort" in Haupt's Zeitschrift f. dtsch. Altertum. Bd. VIII, p. 376 sqq.

σοφίᾳ γάρ ἔκ του κλεινὸν ἔπος πέφανται: Soph. Ant. 620.

σοφόν τι χρῆμα τοῦ διδάξαντος βροτούς: Eur. Androm. 957.

λόγος γάρ ἐστιν οὐκ ἐμός, σοφῶν δ'ἔπος: Eur. Hel. 513.

d. comprobantes experientia sua sive usu: *)

e. gr.: ὅστις ἔμπειρος κυρεῖ, ἐπίσταται: Aesch. Pers. 598.

ἐπίσταμαί τε καὶ πεπείραμαι λίαν: Eur. frgt. 465.

ὡς ἀληθὲς ἦν ἄρα: Eur. frgt. 76.

καὶ ταῦτ' ἄρ' ἦν ἀληθές, ᾐσθόμην: Eur. Iph. Taur. 351.

II. **Alii auctores docent speciem proverbialem:**

a. scriptores Graeci, imprimis Plato.

b. scholiastae tragicorum ad hos locos: Aesch. Pers. 930; Cho. (78), 697, 926; Agam. 32, (1133).

Soph. Aiac. (746), 786, 1039; Oed. Col. 954; Ant. 631; Trach. 13; Phil. 946;

Eur. Androm 930; Hippol. 345; Med. 86, 410; Orest. 279, 485, 1610; Troad. 1051; Phoen. 438, 1369.

Praeterea Schol. Soph. Ant. 781 de Eur. frgt. 887, Schol. Eur. Med. 618 de Soph. Aiac. 665, Schol. Aesch. Agam. 33 de Soph. frgt 809.

c. paroemiographi.

d. lexicographi, grammatici, scholiastae aliorum auctorum: velut Hesych., Suidas, Etym. M., Eustathius.

---

*) cf. Rückerti „Weisheit des Brahmanen" (I, p. 175):
„Zu lehren glaubt' ich oft, was ich an mir erfuhr,
„Und sah dann: ich umschrieb ein altes Sprichwort nur.
„Das eben ist die Art des Sprichworts: wir gewahren
„Erst seinen Sinn, wenn wir ihn an uns selbst erfahren."

III. **Colligere licet in proverbiorum consuetudine fuisse:**

a. sententias, quae non modo ab tragicis tritae sunt, sed etiam aliis auctoribus Graecis reperiuntur familiares.

b. locutiones formulasque dicendi, quae in eadem forma saepius repetuntur a tragicis.

c. metaphoras, quae nummorum instar in cotidiano usu videntur fuisse.

De hoc genere certa explorare difficillimum est. Haud raro plura indicia simul concurrere est consentaneum.

Non deerunt qui negent me nonnulla merito vindicavisse proverbiis aliaque omisisse putent, quae ipsis proverbialia videantur; quae res saepe ad nullum certum finem perduci poterit, quoniam causarum ponderatio ex singulorum iudicio pendeat necesse est. Nam quis est, qui exquirere posse sibi videatur, num omnino poetae menti obversatum sit proverbium, ad quod alluserit? Proculdubio enim multa proverbia tam erant usitata tritaque, ut poetae quamvis leviter ea tangerent quid vellent vulgo intellegeretur: sive leges metricae iusserunt formam adagii genuinam commutari, sive poetarum ingenium in angustos fines coerceri non potuit vel noluit. Atque videbimus tragicos alia uberius esse executos, alia decurtavisse, alia inducentes synonyma commutasse. Tum multa proverbia originem demum duxerunt ex tragoediis: sive ob praeclarum sensum sive ob elegantem dicti formam sive ob insolentem audacemque tralationem sive per usurpantium jocum sive alia de causa in vulgi memoria haerebant, more eorum quae nos vocamus „geflügelte Worte". Plerumque autem testimonia desunt, quibus diiudicare possimus, utrum dicta proverbialia apud tragicos obvia ex usu vulgari sint

recepta ab poetis an ipsi parentes fuerint dictorum postea in proverbia profectorum.

Optimum duxi proverbia ita digerere, ut caput primum comprehenderet proverbia et locutiones metaphorasque proverbiales ex fontibus quibusdam profecta, in altero autem capite tractarem sententias proverbiorum loco habendas. Secutus igitur sum eas rationes, quas Zellius l c. docuit et Bauckius primus in dissertatione sua ad hibuit. Quoniam autem fieri non potuit, quin nonnulla proverbia forma in aliam partem, in aliam re essent inserenda, ita institui ordinem, ut proverbii tractationem uberiorem eo loco proferrem, quo potissimum pertinere videretur, alibi autem ad similia et affinia tantum delegarem. Particulis quibusdam cognata annexui per se alii parti attribuenda, ne quae natura essent conjuncta disputatione divellerentur. Quae vero neque ad certum genus referri neque alii proverbio subjungi posse videbantur, in prima parte capitis tertii complectar; denique in altera parte ultimi huius capitis sub examen vocabo dicta ab veteribus quidem testibus adnumerata proverbiis, quorum speciem proverbialem nos autem omnino non capimus aut aegre conjectura assequi possumus.

Sed cum maior sit copia, quam ut omnia, quae de proverbiis apud tragicos Graecos obviis disserui, nunc typis exscribenda curare possim, in praesens caput primum publici iuris faciam, sperans me alio tempore reliqua in vulgus esse editurum. Atque in hoc capite primum disputabo de proverbiis ex animalium natura petitis, secundum de prov. ex rerum inanimarum natura sumptis, tertium sub examen vocabo prov. de gentium hominumque singulorum indole moribusque prompta, quartum proferenda erunt prov. ex fabulis nata, quintum denique disseram de prov. ex occupationibus vitae cotidianae institutisque socialibus ortis.

Priusquam autem ad propositum venio, haec habeo, quae praemoneam:

Haud ita paucas sententias silentio praeterii, quas solus Arsenius proverbiorum ordini attribuit: quippe quem virum discrimen inter proverbia et sententias minus severe observasse, satis constet (v. Walzii praef. p. III); atque ibi quidem illi denegavi fidem, ubi dicta ab eo recepta repperi nec alicubi adagiis assignata nec omnino speciem proverbialem prae se ferentia. Haec sunt, quae consulto omisi:

Aesch. Sept. 1051, fragt 383, 385;

Soph. Ant. 88, 89, 672; frgt. 297, 599, 838, 854;

Eur. Androm. 773; Hec. 488; Hel. 1617; Heracl. 327, Herc. fur 1349, Suppl. 423; Jon. 300, Cycl. 320, Orest. 236, 1204; Phoen. 524, 599; frgt 27, 292, 334, 364 v. 26—27; v. 32—34, 557, 575, 635, 731, 840, 884, 935, 1026, 1050. Ad amorem pertinentia frgt. 26, 132, 140, 528; ad feminas spectantia frgt. 405, 497, 503, 663, 821, 1041, 1042, (Alc 238): in servos dicta frgt.: 49, 51, 52, 315, 515, 533.

Tragoediam, cui nomen inscriptum est Rhesi, quamquam inter viros doctos hodie constat, non esse compositam ab Euripide, tamen neglegendam non putavi.

Omnes paroemiographorum notae referendae sunt ad corp. paroem. ed. a Leutschio et Schneidewino. Quae sub Apostolii nomine protuli adiectis litteris minusculis sunt ab Arsenio allata ad patris opus supplendum.

Tragicorum locos ex his editionibus exhibui:

Aesch Soph. ex editt. Teubnerianis Dindorfii, 1882. Eur. ex edit. Teubneriana Nauckii, I II³, III², 1879—81.

Frgta. ex Nauckii Tragg. Graec. frgt. 1856.

Scholia ad Aesch. Soph. Eur. ex editt. Dindorfii.

Caput primum.

Proverbia ex fontibus quibusdam derivata.

§ 1: Proverbia ex animalium natura petita.

A communi iumentorum natura depromptum est proverbium: πρὸς κέντρα λακτίζειν. Equi, boves, asini, alii quadrupedes contra stimulum, quo incitantur, calces iactare solent: sed tantum abest ut eis hoc prosit, ut stimulo altius in corpus penetrante gravius laedantur. Itaque hoc adagium de iis usurpatur, qui frustra contra eos pugnant, quos vincere nequeant, aut fatis reluctantes et res adversas impatienter ferentes incommodum non effugiunt, verum etiam augent. Huc pertinent: Aesch. Agam. 1624:

πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε, μὴ παίσας μογῇς,

eiusd. Prom. 323: οὔκουν . . . . . πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς,

Eur. frgt. 607: πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε τοῖς κρατοῦσί σου,

Eur. Bacch. 794:

θύοιμ' ἂν αὐτῷ (sc. Dionyso) μᾶλλον ἢ θυμούμενος
πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν θεῷ.

Idem poeta praeclare similitudinem a iumentis ad nautas transtulit Iph. Taur. 1396:

οἱ δ' ἐκαρτέρουν πρὸς κῦμα λακτίζοντες·

i. e.: Orestis comites irritum fecerunt, quod adversus aestum maris navem tendere conabantur. Minime pro κῦμα librorum opus est coniectura κέντρα, quam Nauckius aliique voluerunt. Euripides hoc loco, ut saepius solet, tritam locutionem proverbialem commutavit. Hoc proverbium commemoratur ab Zen. V, 70; Diog VII, 84;

G. C. III, 46; G. C. M. IV, 100; Mac VII, 44; Apost. XIV, 100 et occurrit apud Pind. Pyth. II, 172; Act. apostol. IX, 5. Etiam Romani usurpaverunt: vid. Terent. Phorm. 78: „nam quae inscitiast, advorsum stimulum calces“; Plaut. Trucul. IV, 2, 55: „si stimulos pugnis caedis, manibus plus dolet.“

De bove sumptum proverbium legimus in Aesch. Agam. 36: *βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας βέβηκεν*, cuius origo quam difficilis sit explicatu inde apparet, quod interpretes veteres singuli complura tentaverunt atque usque ad hunc diem viri docti de proverbio ducendo inter se dissentiunt. Ac primum quidem sunt qui censeant, profectum esse proverbium a nummo veterum Atheniensium bove insigni, de quo tradiderunt Plut. Thes. 25; Schol. Arist. Av. 1106; Poll. IX, 6,61; Zen. II, 70; Diog. III, 48 et 61; G. C. I, 95; G. C. M. II, 49. Quamquam Eckhelius (doctr. numm. II, p. 207) alii testantur, eiusmodi monetam Atticam neque superstitem esse neque omnino unquam exstitisse veri esse simile, nihilo secius ex hoc nuntio tres fluxerunt sententiae: prima colligentium (Diog. III, 61; D. V. II, 2; Mac. II, 88; Apost. V, 2 et 7; Eust. ad II B 252, 25; Poll. l. c.), argento corruptos, secunda (Zen. II, 70, Hesych., Suid. s. *βοῦς ἐπὶ γλ.*) metu multae tacentes homines significari adagio nostro. Quorum illi neglexerunt, in excubitorem Aeschyleum, qui eloquitur illa, minime corruptelae suspicionem cadere, hi locutioni miram supponunt vim quae quomodo evadat equidem intellegere nequeo — ne dicam de inaudito adiectivo *μέγας*, quasi nummi idem valentes (didrachmae) inter se dispari possint esse magnitudine. Tertia autem opinio cogitavit de more veterum nummos in ore tenendi, quos ex venditione mercium suarum colligerent: sive eos fugit, hoc loco

omnino de mercibus venditis vel vendendis non dici, sive in errorem illorum inciderunt excubitorem esse corruptum censentium.

Deinde Eust. ad Iliad. p. 962, 19 et Opusc. p. 168, 29 *βοῦς ἐπὶ γλώττῃ* de nimis crassa gravique lingua accipiens protulit vocis *βούγλωσσος* significationem ab vulgari prorsus alienam.

Aliam viam explicationis Lobeckius (Aglaoph. I, 36) instituit, de boia sive camo, qualis damnatorum ori applicabatur, interpretatus: cui rationi vocem *γλώττῃ* repugnare, cum dici debuerit *στόματι*, iure animadvertit Bernhardyus in glossa ad Suid. l. c. De alia causa resistente infra dicam.

Tum Schneidewinus (Philolog. IX, 149 sqq.) quique eum secuti sunt voluerunt ex consuetudinibus mysticis derivare proverbium, advocantes Philostr. vit. Apoll. VI, 11 de Pythagora silentii auctore satis incredibilia exhibentem, praeterea nixi eiusd. vitt. Soph. I, 21, I; Julian. oratt. VII, 218 A; Synes. epist. 153, 291 C. Quis est quin concedat, hos sectatores fanaticos mysteriorum Eleusiniorum esse indignos, quibus tantum ponderis hic tribuatur? et fidem esse denegandam isti generi interpretum cupididate ardentium, in unaquaque quamvis levi re vestigia mystica inveniendi? Quod studium perversum prorsus abhorret ab nostro loco Aeschyleo: neque enim veri simile mihi videtur, ab eo poeta, qui admirabili arte singularum personarum mores depingit et cuiusvis genus dicendi eius indole naturaque exprimit, excubitorem loquentem esse inductum locutione tam alte repetita Immo vero! ut homo de vulgo solet, utitur servus in toto prologo simplici et ex vita communi sumpto sermone: e. gr. v. 4 ingentem parvorum siderum numerum concionem, signa Zodiaci concionis reges appellat; v. 12–16 senten-

tiarum continuationem abrumpit atque, quae in posteriore orationis parte erant dicenda, in priore praeoccupat; v. 33 ex ludo tesserarum tractum proverbium*) usurpat. Qui igitur, libero iudicio hunc monologum legerit, ei persuasum erit, etiam proverbium in v. 36 obvium esse petitum ex partibus viri illius humilissimi loci

Indicant viam, quam rectam iudico, grammatici veteres: Schol. Aesch. l. c.: *βάρος ἐπίκειται*, Hesych. Suid. s. v.: *διὰ τὴν ἰσχὺν τοῦ ζῴου*, quibuscum concinit cod. B Zen. II, 70, ubi vulgata absurde habet: *διὰ τὸ ἄφωνον τοῦ ζῴου*; idemque videntur spectare codd. B V Diog. III, 61: *βοῦν . . . ., ἐπειδὴ μέγιστον τῶν βοσκημάτων*. Quibus testimoniis indicatam viam ingressi sunt viri docti Guil. Dindorfius (Thesaur. II, 375), Bambergerus (de Aesch. Agam. p. 22 sq.), God. Hermannus qui in adnotatione ad h. v.: „hoc, inquit, Graecorum (sc. proverbium) fortasse a bove vel pedi hominis pedem suum imponente vel stragulo aut alii alicui rei insistente, ut substrahi non possit, sed quasi affixa maneat“, denique Klausenus in editione sua scribens: „imago sumpta de bove, qui pondere pedis agilem serpentem proculcat.“ — Excubitor enim, fido erga dominum animo, ubi diu exspectatam facem Troiae occupationem nuntiantem conspexit, gaudio exsultat, quod tandem Agamemno rex benignus redibit, cui dextram porrigat. „*τὰ δ' ἄλλα σιγῶ*“ pergit, commemorare veritus Clytaemnestrae adulterium, quod paulo post reditum regis aperiatur necesse est. Et prae metu dominae et prae horrore sceleris nefarii linguam coercens addit: *βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας βέβηκεν* i. e. ingens pondus linguam meam occupans impedit quominus libere eloquar cetera. Nihil igitur servi corrupti, nihil mulctae.

*) de quo infra, p. disseram.

Quibus argumentis luculentissimum addit Theogn. 815:

Βοῦς μοι ἐπὶ γλώσσης κρατερῷ ποδὶ λὰξ ἐπιβαίνων
ἴσχει κωτίλλειν καίπερ ἐπιστάμενον,

quo ex loco uberius eandem imaginem verbis *κρατερῷ ποδὶ λὰξ* exsequente satis superque patet, hanc unam explicandi rationem esse comprobandam simulque optimo iure me supra omnes aliorum opiniones refutasse ac repulisse, quippe quarum nulla satisfaciat interpretationi loci Theognidei. De quo quam leviter iudicaverint viri docti, ostendit Ahrensii ratio, qui (Philolog. Suppl. I, 229). Lobeckii opinionem supra prolatam defendens arbitratur Theognidem usurpasse dictionem „mit starker willkührlicher Ausschmückung!"

Jam vero percensebo varias proverbii formas apud alios obvias. Strattis (Mein. com. fgt. II, p. 790) qui Hesychio teste scripsit *βοῦς ἐμβαίη μέγας* omisisse videtur vocem linguae, sicut Diog. III, 61 et Apost. V, 2 praebent: *βοῦς ἐπέβη*, ceteri autem paroemiographi, Hesych., Suidas habent: *βοῦς ἐπὶ γλώττης* sive *ἐπὶ γλώττῃ* sine verbo. Alii alia verba apponunt: Eust. l. c.: *βοῦν ἐπὶ γλώσσης φέρειν,* Julian l. c: *βοῦν ἐπιτίθημι τῇ γλώττῃ,* Synes. l c.: *βοῦν ἐπὶ τῆς γλώττης τίθεμαι,* Philostr. vitt. Soph. I, 21, 1: *βοῦν ἀφωνίας ἐπ' αὐτὴν* (sc. *τὴν γλῶτταν*) *βεβλημένοι.* Alienus autem est versus Menandri ap. Athen. XII, 549 D: *παχὺς γὰρ ὗς ἔκειτ' ἐπὶ στόμα*: quod auctore Hermanno in tyrannum quendam obesissimi corporis „ita dictum est ut silendi necessitatem per illum impositam esse appareat."

Restat ut paucis attingam locum Sophocleum ab Schneidewino exhibitum ad confirmandam opinionem suam, dico Oed. Col. 1053:

πότνιαι σεμνὰ τιθηνοῦνται τέλη
θνατοῖσιν, ὧν καὶ χρυσέα
κλῂς ἐπὶ γλώσσᾳ βέβακε
προσπόλων Εὐμολπιδᾶν,

quem locum duce G. Hermanno sic verto: deae verendae, Demeter et Proserpina, sacra mysteria subministrant mortalibus, quorum in linguis etiam aurea clavis Eumolpidarum antistitum versatur i. e. quorum linguis antistites taciturnitatem imponunt. Idem igitur sonat haec locutio atque illa Aeschylea; unde autem orta sit, dubium est. Nihil iuvat schol. adnotatio: *χρυσέα κλῄς· ἐπεὶ ἄρρητα τὰ μυστήρια καὶ καθάπερ κλεισὶν ἡ γλῶσσα κατείληπται, ὑπὲρ τοῦ μὴ ἐξενέγκειν.* Fortasse respicit poeta usum aliquem sacrum clavis, de quo nihil proditum est memoriae nostrae. Mihi autem potius casu tantum videtur mentio mysteriorum coniuncta esse cum locutione per se satis plana nec non nostratibus perfamiliari, quae passim legitur in tragicis: Aesch. fgt. 309: *ἀλλ' ἔστι κἀμοὶ κλῂς ἐπὶ γλώσσῃ φύλαξ,* Soph. Ant. 180: *ἐκ φόβου του γλῶσσαν ἐγκλῄσας ἔχει* et 505: *εἰ μὴ γλῶσσαν ἐγκλῄοι φόβος,* Eur. Hippol. 498: *οὐχὶ συγκλῄσεις στόμα;* Hec 1284: *Ἀγ.: οὐκ ἐφέξετε στόμα; Πλμ.: ἐγκλῄετ'· εἴρηται γάρ,* Phoen. 865: *κλῄσας στόμα,* coll. Med. 660: *καθαρὰν ἀνοί—ξαντα κλῇδα φρενῶν.* —

De alio a bove sumpto proverbio cogitavit Sophocles, ubi respiciens oraculum iubens, Laii percussorem investigari, de ignoto hoc homine haec proferentem facit chorum Oed. Reg. 476:

φοιτᾷ γὰρ ὑπ' ἀγρίαν
ὕλαν ἀνά τ' ἄντρα καὶ
πέτρας ἅτε ταῦρος,
μέλεος μελέῳ ποδὶ χηρεύων κτλ.

Quo autem spectaverit poeta, apparet ex Theocrit. XIV, 43: *αὐτός θην λέγεται τὸ βεβάκει ταῦρος ἀν' ὕλαν* et ex Schol. h. l: *παροιμία ἐστὶν ἐπὶ τῶν μὴ ἀναστρεφόντων διὰ τὸ τοὺς ταύρους ὕλης ἐπιλαμβανομένους ἀλήπτους εἶναι.* Recepit proverbium Apostol. X, 92. Sed conexus loci Theocritei ostendit, Leutschium optimo iure ad Apost l. c. adnotavisse: „rectius derivabitur a tauris *ἀτιμαγέλαις*, iis scilicet, qui tum demum, cum coeundi tempus adfuerit, cum vaccis prata pascere incipiunt; ante id tempus solitarii per nemora vagantur nullo feminarum desiderio tacti: vid. Aristot. Hist. An. VI, 17, 8; Suid. s. *ἀτιμαγέλου.*“ Sophocles igitur proverbium: *ἔβα (βέβηκε) ταῦρος ἀν' ὕλαν,* quod quadrabat „in amantem, qui abiit fessus libidine neque curat ad pristinam redire consuetudinem“, ita adhibuit, ut percussorem hominum societatem fugientem cum tauro *ἀτιμαγέλῃ* compararet. Ceterum Erasmus p. 36 copiose de adagio exposuit.

Soph. frgt. 800:

σαίνεις δάκνουσα καὶ κύων λαίθαργος εἶ

proverbiale esse, auctor est schol. Aristoph. Equit. 1068 scribens: *λαίθαργοι κύνες λέγονται αἱ λάθρα προσιοῦσαι καὶ δάκνουσαι. παρὰ δὲ τὴν παροιμίαν· σαίνεις κτλ.* Idem ad v. 1031 hanc praebet proverbii interpretationem *ἐπὶ τῶν ὑποκρινομένων δῆθεν εὐνοεῖν, ἐπιβουλευόντων δὲ λάθρα.* Zen. IV, 90 et G. C. L. II, 62 s. *λήθαργος κύων* adnotant similia atque Eust. Od. p. 1493, 34 docet: . . . *κύνα, τροπικῶς δὲ σημαίνει καὶ ἐπίβουλον ἄνθρωπον κρύφα βλάπτοντα.*

Omnino impudentes, improbos, audacia furentes homines a Graecis canes vocari, quis est quin sciat ex Homeri carminibus? (Cf. e. gr. *Z* 344, 356; *Θ* 423, *Φ* 481; *σ* 338, *τ* 91). Neque desunt apud tragicos loci,

ubi vox κύων idem valet. Ab Aesch. Agam. 1228 Clytaemnestra dicitur μισητὴ κύων; idem Suppl. 759 Aegypti filios vocat κυνοθρασεῖς neque blandius Eurip. Androm. 630 Helenam προδότιν κύνα et Hec. 1173 feminas Troades, qui Polymestorem occaecaverunt: μιαιφόνους κύνας, virgines autem bacchantes Bacch. 731: κύνας δρομάδας et v. 977: Λύσσας κύνας. Minus igitur offendet, si quis legerit eodem nomine monstra quaedam significari: Aesch. Cho. 620 occurrit Σκύλλα κυνόφρων, ab eodem frgt. 232 et a Soph. Oed. Reg. 391 Sphinx κύων dicitur, Euripides autem Herc. fur. 420, 1274 idem nomen Hydrae attribuit. Cur vero Furiae identidem κύνες appellentur (Aesch. Cho. 924, 1054; Soph. El. 1388; Eur. El. 1252 saepius), ipsae declarant ap. Aesch. Eum. 246, Eur. El. 1342 sqq. Qui usus vocis canis cum tam creber fuerit, videtur mihi proverbialis existimandus. Vid. infra p. 22. Neque Graecos effugit vulpis calliditas, quem nos omnium animalium callidissimum putamus. Et ut nostrates, ita etiam Graecos homines hac indole praeditos aut vulpis nomine vocasse aut cum eo comparasse, docent complures loci: Solon.*) frgt. 11, v. 5; Pind. Isthm. III, 65; Plat Reip. II, 365 C; Aristoph. Pac. 1067, Equ. 1069. Atque Sophoclem bis (frgt. 243, 271) vulpis versutia hominem callidum significasse, testatur Hesych. I, 256: ἀλωπός· ἀλωπεκώδης, πανοῦργος. Σοφοκλῆς Θυέστῃ [καὶ] Ἰνάχῳ, quacum interpretatione concinit Zen. V, 68: πόλλ' οἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα· ἐπὶ τῶν πανουργοτάτων. Denique Soph. Aiac. 103 Ulixes audit:

τοὐπίτριπτον κίναδος.

---

*) affero frgt. lyr. ex „Anthol. lyrica" ed. [3] Bergk. 1883.

Capaneus scalis moenia ascendere studens, dicitur Eur. Phoen. 1178:

ἀνεῖρφ' ὑπ' αὐτὴν ἀσπίδ' εἱλίξας δέμας,

ubi poetam echinum respicere sagaciter cognovit Valckenarius in glossa ad h. l. eumque alludere ad proverbium *πόλλ' οἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα;* cuius modo mentionem feci. Zen. V, 68 ut id explicet, affert Jonis tragici versus (Athen. III, 91 D) de echino:

ὅς εὖτ' ἂν ἄλλων θηρίων ὀσμὴν λάβῃ,
στρόβιλος ἀμφ' ἄκανθαν εἱλίξας δέμας,
κεῖται θιγεῖν τε καὶ δακεῖν ἀμήχανος.

Vix casu factum esse videtur, ut verba *εἱλίξας δέμας* in utroque loco legantur, quamobrem, suspicio illa viri doctissimi multum veresimilitatis prae se fert. De echino vid. Hesych. s. v. et de toto proverbio Erasm. p. 131, Bauck. p. 24. Affertur autem adagium ab Diog. VII, 83; G. C. III, 44; D. V. III, 69; G. C. M. IV, 98; Mac. VII, 22; Apost. XIV, 60.

Ut exprimat, undique ex malitia hominum nobis imminere pericula, Soph. frgt. 34 admonet:

ἐν παντὶ γάρ τοι σκορπίος φρουρεῖ λίθῳ.

Diog. VIII, 59, G. C. III, 88 explicant breviter: *ἐπὶ τῶν κακοήθων λέγεται,* plenius Apost. XVII, 61: *ἐπὶ τῶν κακοήθων καὶ ἐριστικῶν* et Mac. VIII, 69: *ἐπὶ πολυπληθίας τῶν πανταχοῦ ὄντων πονηρῶν ἀνθρώπων.* Pluribus Praxillae nobilissimum scolium (ap. Bergk. Anthol. lyr. Scol. 23) idem celebrat:

ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκόρπιος, ὦ 'ταῖρ', ὑποδύεται·
φράζευ, μή σε βάλῃ· τῷ δ' ἀφανεῖ πᾶς ἕπεται δόλος.

Alludit facete Aristoph. Thesm. 528:

τὴν παροιμίαν δ' ἐπαινῶ
τὴν παλαιάν· ὑπὸ λίθῳ γὰρ
παντί που χρὴ μὴ δάκῃ ῥήτωρ ἀθρεῖν.

Aelian. hist. an. XV, 26 usurpat adagium.

Ad eiusdem scorpionis naturam, qui clam et per insidias homines vulnerat per totumque corpus venenum mittit, spectare mihi videtur locutio Aeschylea σκορπίου βέλος. Photius enim in Lex. p. 326, 22 et Suid. v. ὀκτώπουν, allato proverbio σκόρπιον ὀκτώπουν ἀνεγείρεις addunt: ἐν δὲ ταῖς Αἰσχύλου Ξαντρίαις (frgt. 163) ἡ Λύσσα ἐπιθειάζουσα ταῖς βάκχαις φησίν·

ἐκ ποδῶν δ' ἄνω
ὑπέρχεται σπαραγμὸς εἰς ἄκρον κάρα,
κέντημα λύσσης, σκορπίου βέλος λέγω.

Posuerim igitur locutionem σκορπίου βέλος in numero proverbialium, coniciens eam esse dictam de affectu subito eoque violento.

In eos, qui sibi ipsis interitum parant, quadrat πυραύστου μόρος, quod proverbium commemorat Aesch. frgt. 280:

δέδοικα μῶρον κάρτα πυραύστου μόρον.

De natura huius bestiolae, quae lucernis advolans exustis alis perit, vid. Aelian. nat. an. XII, 8. Interpretantur adagium Zen. V, 79: ἐπὶ τῶν ἑαυτοῖς προξενούντων ἀπώλειαν et Eust. Od. p. 1547 fin.: ἐπὶ τῶν ἑκοντὶ καὶ ῥαδίως θνησκόντων, coll. eodem Od. p. 1848, 37 et Jl. p. 1304, 8. Licet comparare illud ab Apost. XVIII, 18 allatum: χαρὰν πυραύστου χαίρεις· ἐπὶ τῶν διὰ μακρὰν ἡδονὴν ἑαυτοὺς φθειρόντων.

Venio ad proverbia quae ab avium natura orta sunt.

Danaus, ut filiis persuadeat, inter consanguineos nuptias nunquam fieri licere, apud Aesch. Suppl. 226 loquitur

ορνιθος ὄρνις πῶς ἂν ἁγνεύοι φαγών;
πῶς δ' ἂν γαμῶν ἄκουσαν ἄκοντος πατρὸς
ἁγνὸς γένοιτ' ἄν;

Hanc locutionem, quae alibi exstare non videtur, esse proverbialem, ex App. prov. III, 55 (= Mac. V, 36): *κύων κυνὸς οὐχ ἅπτεται· ἐπὶ τῶν τοὺς ὁμοίους φυλαττομένων*, et ex Cratino (ap. Varron. L. L. VII, 31) „canis caninam non est“ conicio. Idem valent Horat. Epod. Vll, 11:

Neque hic lupis mos nec fuit leonibus
nunquam nisi in dispar feris,

et Juvenal. Sat. XV, 159:

parcit / cognatis maculis similis fera.

Aesch. Agam. 394 verbis:

διώκει παῖς ποτανὸν ὄρνιν

indicat, Parim inania sperasse, cum Helenam raperet: quasi stultum puerum, qui volantia sectetur i. e. vanas res, unde non modo nullos fructus percepturus sit, verum etiam damna. Pergit enim poeta:

πόλει (sc. Troiae) *πρόστριμμ' ἄφερτον ἐνθείς.*

Versum illum proverbiis esse inserendum, elucet ex Apost. XII, 100: *ὄρνις ζητεῖς, ἀνέμους θηρεύσεις· ἐπὶ τῶν μάτην κοπιόντων.* Simile est Plat. Euthyph. 4 A: *πετόμενόν τινα διώκεις* et Arist. Metaph. III, 5 de rebus obscuris et quas difficillimum sit pervestigare sic loquitur: *τὸ γὰρ τὰ πετόμενα διώκειν τὸ ζητεῖν ἂν εἴη τὴν ἀλήθειαν.* Cf. Prov. Salom. 10, 4: qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aves volantes. Multa cognata suggessit Leutschius in adnotatione ad Apost. XVl, 60 b. Neque alienum est Eur. frgt. 273: *πτηνὰς διώκεις, ὦ τέκνον, τὰς ἐλπίδας.*

Etiam in eos quadrat, qui impossibilia captant moliuuturque, proverbium *θανόντα ἐπικτανεῖν* sive

νεκρὸν σφάττειν. Ad verba Philoctetis apud Soph. Phil. 946:

κοὐκ οἶδ' ἐναίρων νεκρὸν ἢ καπνοῦ σκιὰν

schol. adscripsit: σφάττειν νεκρὸν, κατὰ τὴν παροιμίαν. Commemorant proverbium νεκρὸν μαστίζεις Prov. Plut. Boiss. 9 et Apost. XII, 3 (hic enim corrigendum videtur μαστίζεις pro μυρίζεις), qui apponit: ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων· Iterum adhibet proverbium poeta in Ant. 1029, ubi Tiresias Creonta admonet de Polynicis corpore:

ἀλλ' εἶκε τῷ θανόντι μηδ' ὀλωλότα
κέντει· τίς ἀλκὴ τὸν θανόντ' ἐπικτανεῖν;

quocum schol. bene comparat Hom. Jl. Ω 54: κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων. Cf. eiusd. fab. 1288:

αἰαῖ, ὀλωλότ' ἄνδρ' ἐπεξειργάσω,

quod Creon, paulo post Haemonis mortem de uxoris decessu certior factus, exclamat summo dolore captus.

Idem valet proverbium ab Zen. I, 29 et Mac. I, 26 allatum: ἀδύνατα θηρᾷς· ἐπὶ τοῦ ἐγχειροῦντος μείζοσιν ἢ καθ' ἑαυτόν, quod plus minus mutata forma saepius apud tragicos occurrit: Soph. Ant. 92: θηρᾶν οὐ πρέπει τἀμήχανα et v. 90: ἀμηχάνων ἐρᾷς, quocum concinit fere Eur. Herc. fur. 318: ἀδυνάτων ἔοικ' ἐρᾶν. Quamquam paulo longius ab genuina proverbii forma aberrant, tamen non indigni mihi videntur, qui commemorenter hi loci: Soph. El. 1054:

πολλῆς ἀνοίας καὶ τὸ θηρᾶσθαι κενά,

Eur. Hel. 811: τὸ τολμᾶν ἀδύνατ' ἀνδρὸς οὐ σοφοῦ. Alc. 202: τἀμήχανα ζητῶν.

Quam vero pervulgatum fuerit hoc proverbium, elucet ex Schwidopii conspectu prov. a Luciano usurpatorum, qui non modo huius auctoris Dial. Deor. VIII: ἀδυνάτων ἐρᾷς exscripsit sed etiam aliorum complures locos,

Sed redeo ad proverbia ab avium natura nata. — Graeci exterarum gentium linguam, cum non scirent neque intellegerent, comparaverunt cum vocibus avium crocientium vel frigutientium: cf. Herod. II, 57; IV, 183. Hirundo autem cum prae ceteris avibus propter garrulitatem ac loquacitatem sit molesta, Aesch. Agam. 1050 de Cassandra dicit:

χελιδόνος δίκην ἀγνῶτα φωνὴν βάρβαρον κεκτημένη.

Utrum ad hunc locum an ad alium spectet, quod schol. Arist. Av. 1680 scribit: *καὶ Αἰσχύλος τὸ βαρβαρίζειν χελιδονίζειν φησί* (frgt. 440), potest dubitari. Similiter ab Aristoph. Ran. 678 Cleophon, cuius dictionem peregrinam comicus perstringit, vocatur *Θρηκία χελιδών*. Atque Hesychius interpretatur s. *χελιδόσι· τοὺς βαρβάρους χελιδόσιν ἀπεικάζουσι διὰ τὴν ἀσύνθετον λαλίαν*. Proverbialiter autem dicebatur teste Mac. V, 49: *λαλίστερος χελιδόνος*, quo de proverbio Leutschius in adnot. docte disseruit.

Exempla quae attuli canis, vulpis, hirundinis docent, tragicos animalium naturam spectantes libenter nomina eorum transtulisse ad homines similibus virtutibus vel vitiis praeditos, atque imprimis quidem loco vocum contumeliosarum. Vid. Bauck. p. 7. Neque ex re mihi videtur brevem conspectum componere eorum nominum, quae ad hominum mores significandos usurpaverunt tragici — exceptis sane comparationibus similitudinibusque. *)

---

*) de hac re vid., si placet: Hoppe: „de comparat. et metaph. ap. tragg. graec. usu." Progr. Gymn. gr. Klost. Berol. 1859; Cönen: „de comparat. et metaph. ap. atticos präsertim poetas." Diss. Trai. ad Rhen. 1875: quorum hic de bestiis in universum, ille de avibus disputavit. Rödström: „de imagg. Sophocleis a rerum natura sumptis." Diss. Holmiae 1875.

Praemoneo, notiones generales θήρ et δάκος, illam de feris impetuosisque (Eur. Hec. 1073, Orest. 1272, Phoen. 1297), hanc de periculosis hominibus (Aesch. Agam. 1232, coll. 824; Eur. Troad. 284) esse adhibitas.

λέων vocari solet vir robore praestans nec non clam hosti insidias parans: Aesch. Agam. 717, 827, 1224, 1259; Cho. 939. Eur. Heracl. 1006; Herc. fur. 1211; Orest. 1401, 1555; Suppl. 1223. Rhes. 57.

λέαινα appellatur Clytaemnestra: Aesch. Agam. 1258, Eur. El. 1163; Medea. Eur. Med. 187, 1342, 1358, 1407.

σειραφόρος sc. ἵππος significat adjutorem sociumque: Aesch. Agam. 842, coll. 1642; eadem vis subest compositis: δεξιόσειρος: Soph. Ant. 140; vid. quae Böckhius adnotavit ad h. l.

παράσειρος: Eur. Orest. 1017; ὑποσείραιος: Eur. Herc. fur. 445; sequor enim hanc probabilissimam Pflugkii coniecturam pro codd. ὑπὸ σειραίοις.

λύκος audit Aegisthus: Aesch. Agam. 1259.

σῦς: Mars caeco impetu in proelium progreditur σνὸς προσώπῳ: Soph. frgt. 754.

πτώξ: ab Aesch. Eum. 325 appellatur Orestes Furias fugiens.

δράκων, ἔχιδνα, ὄφις imprimis de clandestinis odiis malisque artibus mulierum ponuntur.

δράκων, δράκαινα: Aesch. Cho. 1047, Eum. 128, Pers. 81, Suppl. 511. Soph. Ant. 126. Eur. Orest. 479, 1406, 1424; Jon. 1263. ἔχιδνα: Aesch. Cho. 249, 994; Suppl. 896; Eur. Alc. 310; Androm. 271; Jon. 1262. ὄφις: Aesch. Cho. 928, Suppl. 895.

μύραινα de Clytaemnestra maligna (una cum ἔχιδνα): Aesch. Cho. 994.

ἀράχνη de clam insidiantibus: Aesch. Agam 1492, 1516.

κίρκοι vocantur protervi Aegypti filii Danaides timidas prosequentes: Aesch. Prom. 857,

πελειάδες ibidem Danaides.

γῦπες de hominibus crudelibus: Eur. Androm. 75.

ἀετός, de fortibus nobilibusque Aesch. Cho. 247; Soph. Ant. 113 (oppos. *δράκων*)

Liceat mihi huic parti annectere unum proverbium, quod ex plantarum natura sumptum reperimus in tragoediis.

Danaides, quae ne Aegyti filii *κυνοθρασεῖς* se in matrimonium ducerent ex patria Argos profugerunt sed ne hic quidem tutae ab eorum insidiis sunt, erigit Danaus pater his verbis, quae legimus ap. Aesch. Suppl. 760:

ἀλλ' ἔστι φήμη τοὺς λύκους κρείσσους κυνῶν
εἶναι' βύβλου δέ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν.

Admonet igitur filias suas, ne juvenum insidias timeant; se enim illis esse fortiores, cum lupus superet canem et spica papyri fructum. Proximorum verborum sensus hic videtur esse: Aegyptii tanto imbecilliores sunt Graecis quanto papyri fructus, eorum cibus (schol. enim adscribit: *παπυροφάγοι οἱ Αἰγύπτιοι*), cedit frumento, quippe cum papyrus spicam proferre non valeat. Itaque ii interpretes errare mihi videntur, qui Erasmum secuti poetae verba sic vertunt: „fructus papyri haud sustinet spicam gravem“, quod ita explanat p 624 doctissimus ille vir: „propterea quod byblus ob culmos invalidos spicam granis onustam ferre non potest. Proinde prodit quidam spicas, sed inanes.“ Immo: voce *στάχυν* poetam spicam frumenti Graecorum, non fructum papyri Aegyptii significare voluisse, equidem pro certo habeo, praesertim cum hoc modo, ut antea *λύκοι* et *κύνες*, ita

hic *βύβλου καρπός* et *στάχυς* (sc. *σίτου*) apte opponantur. Versus ille Aeschyleus in proverbium profectus est teste Zen. II, 73.

§ 2. Proverbia ex rerum inanimarum natura sumpta.

Quoniam fluviorum aqua defluit, locutione proverbiali *ἄνω ποταμῶν* significabant, aliquid praepostere fieri legibusque naturae repugnare. Errat autem Erasmus, cum p. 95 asserat, sumptum esse proverbium ex Eur. Med. 410:

ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί.

Nam Hesych. I, p. 411 testatur, iam Aeschylum (frgt. 326) id usurpasse, neque vero quidquam addit de fabulae nomine aut de loci sententiarum conexu. Euripides quid spectarit l. c., bene exponit schol.: *ὅτι ἀνέστραπται ἡ φύσις. οὐκέτι γὰρ δόλιαί εἰσιν αἱ γυναῖκες, ἀλλ' οἱ ἄνδρες.* Recurrit apud eundem poetam proverbium, ut saepius fit, ad loci necessitatem paulo mutatum, Suppl. 520: *ἄνω γὰρ ἂν ῥέοι*

τὰ πράγμαθ' οὕτως, εἰ 'πιταξόμεσθα δή,

quibus verbis Theseus indicare vult, fore ut rerum cursus legitimus inverteretur, si ipse Creontis imperio serviret. Recentiorum ineptam coniecturam *νάμαθ'* pro *πράγμαθ'* silentio praetereo. Receperunt adagium: Zen. II, 56. Diog I, 27; G. C. I, 28; G C. M I, 28; Mac. II, 7; Apost. II, 92: Mant prov. I, 20 Proverbium perfamiliare erat et Graecis et Latinis; est enim ap. Aristot. Meteorol. II, 2 fin.; Demosth. de falsa legat. § 287; Diog. Laert. VI, 36; Lucian dial mort. VI, 2. apol de merc. cond. § 1, alios. Ex Latinis exscribo: Ovid. Trist. II, 8, 1:

in caput alta suum labentur ab aequore retro
flumina conversis solque recurret equis,

Horat. Carm. I, 29, 11: quis neget arduis / pronos relabi posse rivos / montibus et Tiberim reverti? Propert. I, 15, 29: muta prius vasto labentur flumina ponto. Cic. epist. ad Attic. XV, 4 usurpat graecum. —

Prometheus vinctus Mercurio pertinaciter rogitanti, ut sortem Jovi imminentem praedicat, respondet: Aesch. Prom. 1001:

ὀχλεῖς μάτην με κῦμ' ὅπως παρηγορῶν.

Ibique schol.: *μάτην με βιάζῃ, ὥσπερ εἰς κῦμα λαλῶν, ἤγουν ἀναισθήτῳ προσδιαλεγόμενος.* Pluribus interpretatur Apost. XIII, 82: *ἐπὶ τῶν ἀναισθήτως ἐχόντων ἡ παροιμία. ὡς γὰρ κῦμα προσκροῦον ἀεὶ παραλίαις πέτραις οὐδὲν ἀνύει, εἰ μὴ μάτην πονεῖ, οὕτως οὐδ' αὐτὸς ὀχλῶν μοι ἀνύσεις τι, ὥστε ἃ χρῄζεις ἀκοῦσαι.* Praeterea proverbii testis est Eust. Od. 1622, 43: *καὶ ὁ σκώπτων δέ τινα δυσπειθῆ πρὸς κύματα λαλεῖν φησι παροιμιακῶς.* Cf. Eur. Hippol. 304: *πρὸς τάδ' αὐθαδεστέρα γίγνου θαλάσσης.* Huc spectat Eur. Androm. 537:

τί με προσπίτνεις, ἁλίαν πέτραν
ἢ κῦμα λιταῖς ὣς ἱκετεύων;

sunt Menelai precibus Andromachae et Molossi indignati. Verba *ἁλίαν πέτραν . . . ὣς ἱκετεύων* alludunt ad simillimum proverbium, quod est in Append. prov. III, 68: *λίθῳ λαλεῖς· ἐπὶ τῶν ἀναισθήτων*, quocum consentit Mac. V, 61, et ap. Plut. prov. Boiss. 24: *λίθῳ διαλέγου.* Iterum utrumque coniunctum legitur in Eur. Med. 28, ubi nutrix de Medea dicit:

ὣς δὲ πέτρος ἢ θαλάσσιος
κλύδων ἀκούει νουθετουμένη φίλων.

Inde homines duri et pertinacis animi conferuntur cum scopulis aut ferro, ut in lingua nostra. Aesch. Prom,

242: σιδηρόφρων δὲ κἀκ πέτρας εἰργασμένος, (coll. eiusd. Sept. 52 et Soph. Aiac. 926: στερεόφρων), Eur. Med. 1279: ὡς ἄρ' ἦσθα πέτρος ἢ σίδαρος, Cycl. 596: πέτρας τὸ λῆμα κἀδάμαντος ἕξομεν. Herc. fur. 1397: αὐτοῦ γενοίμην πέτρος ἀμνήμων κακῶν. Soph. Oed. Reg. 334:

οὐκ, ὦ κακῶν κάκιστε, καὶ γὰρ ἂν πέτρου
φύσιν σύ γ' ὀργάνειας, ἐξερεῖς ποτε
ἀλλ' ὧδ' ἄτεγκτος κἀτελεύτητος φανεῖ;

Vox ἄτεγκτος admonet Aesch. frgt. 287:

ἄτεγκτος ἄνθρωπος παρηγορήμασιν,

quod proverbiis vindicat Apost IV, 16 hanc interpretationem (— Bekk. Anecd. I, 458, 18) addens: ὁ μὴ βρεχόμενος μηδὲ (προσ-) ἱέμενος παραμυθίαν, ἀλλὰ σκληρὸς ὢν ὡς ἡ [falso ἢ] πέτρα ἢ ἄλλο τι τῶν σκληρῶν, ὡς μηδὲ ὑπὸ ὕδατος διαβρέχεσθαι. Vid. Suid. s. v. Idem respicit Eur. Herc. fur. 833:

ἄτεγκτον συλλαβοῦσαν καρδίαν.

Appono duos tragicorum versus verbum τέγγω in eadem significatione praebentes:

Aesch. Prom. 1008: τέγγει γὰρ οὐδὲν οὐδὲ μαλθάσσει κέαρ / λιταῖς,

Eur. Hippol. 302: οὔτε γὰρ τότε / λόγοις ἐτέγγεθ' ἥδε νῦν τ' οὐ πείθεται. —

Contrarium illi ἄτεγκτος παρηγορήμασι dicebatur ἐπὶ τῶν σφόδρα πρὸς ἔλεον ῥεπόντων auctoribus Zen. I, 14: D. V. I, 9; Mac. I, 12:

ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες

Aperte alludit pluribus exsecutus Eur. Hel. 950: καίτοι λέγουσιν, ὡς πρὸς ἀνδρὸς εὐγενοῦς ἐν ξυμφοραῖσι δάκρυ ἀπ' ὀφθαλμῶν βαλεῖν, verbis καίτοι λέγουσιν adumbrans speciem proverbialem dicti sequentis, et frgt. 411;

ἀμουσία τοι μηδ' ἐπ' οἰκτροῖσιν δάκρυ στάζειν, coll. eiusd. Jph. Aul. 452 sq, Troad. 608, frgt. 577. Schol.. Ven. Jl T. 5 et Eust. Jl. 115, 31 admonent, Homerum producere Agamemnonem, Patroclum, Ulixem lacrimantes.

Fortasse huc spectans Apost. XVlll, 58 c recepit Eur. And. 421:

ᾤκτειρ' ἀκούσας· οἰκτρὰ γὰρ τὰ δυστυχῆ

cui addo eiusd. Heracl. 232:

ᾤκτειρ' ἀκούσας τούσδε συμφορᾶς. —

Sed redeat unde aberravit oratio. Proverbiis *ὀχλεῖς μάτην με κῦμ' ὅπως* et *λίθῳ λαλεῖς* annecto nonnulla, quae eadem in homines duros quadrant. Primum profero *παρὰ κωφῷ διαλέγῃ* commemoratum ab G. C. III, 32, G. C. M. IV, 89, Libanio in Boisson. Anecdd. I, 167: *ἀλλ' ᾖδον τὸ τῆς παροιμίας ἐπὶ κωφῷ*, quod legimus mutato verbo ap. Aesch. Sept. 202,

ἤκουσας ἢ οὐκ ἤκουσας ἢ κωφῇ λέγω;

Cho. 881:

κωφοῖς ἀϋτῶ καὶ καθεύδουσιν μάτην ἄκραντα βάζω.

Cf. Ovid. Met XIII, 804: surdior aequoribus.

Alterum occurrit in Eur. Hec. 334:

οὑμοὶ μὲν λόγοι πρὸς αἰθέρα
φροῦδοι μάτην ῥιφέντες ἀμφὶ σοῦ φόνου.

Quamquam *πρὸς αἰθέρα λόγους ῥίπτειν* in corp. paroem. non reperitur, tamen eandem sententiam exprimens *ἀνέμῳ διαλέγῃ*, quod Zen I, 38 et D. V. I, 14 cum *αἰγιαλῷ λαλεῖς* componunt: nimirum *πρὸς αἰθέρα* et *ἀνέμῳ λέγειν* sive *διαλέγεσθαι* idem significant. Similia sunt eiusd. Suppl. 1155: *λόγων δὲ παρακέλευσμα σῶν / ἀέρι φερόμενον οἴχεται*, Troad. 418: *Φρυγῶν ἐπαινέσεις / ἀνέμοις φέρεσθαι παραδίδωμι*, cf. Soph. Phil. 936;

ὦ λιμένες, ὦ προβλῆτες, ὦ ξυνουσίαι,
θηρῶν ὀρείων, ὦ καταρρῶγες πέτραι,
ὑμῖν τάδ' . . . . . ἀνακλάομαι.

Tertium est Aesch. Cho. 926:

ἔοικα θρηνεῖν ζῶσα πρὸς τύμβον μάτην,

Haec exclamat Clytaemnestra ad filium inexorabilem se convertens, frustra conata Orestem patris ulciscendi causa reversum commovere, ut Aegistho interfecto sibi parceret. Ibique schol.: παροιμία εἶναι ταὐτόν φησι πρὸς τύμβον τε κλάειν καὶ πρὸς ἄνδρα νήπιον. Similiter Latini proverbialiter dixerunt „verba facere emortuo", vid. Plaut. Poen. IV, 2, 18. Quod afferunt paroemiographi Diog. VII, 66; D V. III, 65, G. C. III, 33; G. C. M. IV, 90; Mac. VII, 38; Apost. XIV, 99: πρὸς σῆμα μητρυιᾶς κλαίειν paulo variatam exprimit sententiam, cum Diog. l. c. ita proverbium explanet: ἐπὶ τῶν προσποιουμένων κλαίειν ἀφροντίστως τε κλαιόντων.

Aliam locutionem in quamvis inanem operam dictam legimus in Soph. frgt. 741:

ὅρκους ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω.

Versum esse proverbialem, intellegimus et ex Hellad. in Phot. Bibl. p. 530 a 15: ὁ στίχος ὁ καὶ παροιμιαζόμενος· „ὅρκους κτλ." ἐστὶ μὲν Σοφοκλέους et ex Mac. VI, 48. Locutionem εἰς ὕδωρ sive ut alii volunt καθ' ὕδατος γράφειν explicant paroemiographi: ἐπὶ τῶν ἀνόνητα πονούντων (Mac. IV, 95) vel ἐπὶ τῶν ἀδυνάτοις ἐπιχειρούντων (Diog. V, 83; Mant. prov, I, 74) et comparant cum: λέοντα ξυρεῖν, εἰς ὕδωρ σπείρειν, Αἰθίοπα ῥύπτειν. Sophocles autem dictionem, quam vulgo de irrito conatu dicere solebant, ad levitatem mulierum peierantium transtulit. Quod ad sensum versus attinet, vid. Phryn. Bekk. p. 55, 17: ὅρκον γυναικὸς εἰς ὕδωρ χρὴ γράφειν, ὅτι ἀπιστεῖν γυναικὶ δεῖ ὀμνυούσῃ. Imitati

sunt tragicum Men mon 25: *ἀνδρῶν δὲ φαύλων ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε* atque Catull. LXX, 3:

sed mulier cupido quod dicit amanti,
in vento et rapida scribere oportet aqua. —

Zenobio V, 58 teste proverbium erat: *ὁ παῖς τὸν κρύσταλλον· ἐπὶ τῶν μήτε κατέχειν δυναμένων μήτε μεθεῖναι βουλομένων.* Pergit paroemiographus: *μέμνηται αὐτῆς Σοφοκλῆς Ἀχιλλέως ἐρασταῖς,* respiciens Soph. frgt. 154, v. 3 sqq:

ὅταν πάγου φανέντος αἰθρίου χεροῖν
κρύσταλλον ἁρπάσωσι παῖδες ἀσταγῆ,
τὰ πρῶτ' ἔχουσιν ἡδονὰς ποταινίους·
τέλος δ' ὁ κρυμὸς οὔθ' ὅπως ἀφῇ θέλει
οὔτ' ἐν χεροῖν τὸ κτῆμα σύμφορον μένειν.
οὕτω δὲ τοὺς ἐρῶντας αὑτὸς ἵμερος
δρᾶν καὶ τὸ μὴ δρᾶν πολλάκις προσίεται.

Noto me has coniecturas probabiles recepisse: v. 4: Salmasii *παῖδες ἀσταγῆ* pro librorum *παιδιαῖς ἄγη*; v. 6: Meinekii *κρυμὸς* pro *χυμὸς*; v. 8 eiusdem *οὕτω δέ* pro *οὔτε.* Proverbium profertur a Diog. VIII, 11; D. V. III, 47; Apost. XII, 93; Suid. s. v. et usurpatur ab Plut. de garrul. 12, p. 508 C. —

Res pretiosas videntur Graeci proverbialiter cum auro comparasse. Legimus ap. Aesch. Cho. 372:

ταῦτα μέν, ὦ παῖ, κρείσσονα χρυσοῦ,

ubi *ταῦτα* eo pertinet, quod Electra optavit, ut patri contigisset potius in bello honeste occidere quam turpiter insidiis matris. Tum Soph. Ant. 699:

οὐχ ἥδε χρυσῆς ἀξία τιμῆς λαχεῖν;

Haemon quaerit de Antigona, quippe quae fratrem mortuum sepeliverit; quamquam *χρυσῆς τιμῆς* admonet etiam de coronis aureis, quae meritis civibus honoris causa in Graecia dari solebant. Et Cassandra Ulixi

imminentes errores praedicit, quibus ille Troianorum miserias quondam multo praepositurus sit, ut est in Eur. Troad. 432:

ὡς χρυσὸς αὐτῷ τἀμὰ καὶ Φρυγῶν κακὰ
δόξει ποτ' εἶναι.

Musgravius adducit Plut. Vit. p. 438 (ed. H. Stephan.) χρυσὸν ἔδειξαν τὰς συμφοράς. Neque neglegenda sunt exempla huius usus apud Romanos obvia, quae mihi proverbium subaudienti haud mediocriter favent. Occurrerunt enim mihi haec: Catull. 107, 3: Quare hoc est gratum nobisque est carius auro, et Tibull. I, 8, 31: carior est auro iuvenis, cui levia fulgent / ora. —

Ignis audiebat elementum perniciosum. Inde proverbium ἐν πυρὶ βέβηκας (ap. Diog. IV, 52; Apost. VII, 43; Suid.) dicebatur de iis, qui in magno discrimine versabantur. Huc alludens eloquitur Sophocles, spe in fraudem mutata multos deprehendi nihil sentientes, Ant. 619: πρὶν πυρὶ θερμῷ πόδα τις προσαύσῃ, quod schol. bene interpretatur: πρὶν — εἰς αὐτὸν ἐμπέσῃ τὸν κίνδυνον. Pro προσαύσῃ multae variae lectiones sunt, quas hic praetermitto, quod nihil ad sensum attinent. Recte autem negat Abreschius (ad Aeschyl. I, p. 16sqq), ex hoc proverbio explicandos esse hos locos Euripideos: Androm. 487: διὰ γὰρ πυρὸς ἦλθ' ἑτέρῳ λέχει, et El. 1183: διὰ πυρὸς ἔμολον ἁ τάλαινα ματρὶ τᾷδ'. Potius locutio διὰ πυρὸς μολεῖν τινι valet: „igni contra aliquem grassari“, quod est Seidlero iudice nihil amplius quam „exitioso sive crudeli modo aliquem tractare.“ Multa similia comportaverunt Abreschius l. c. et Valckenarius ad Eur. Phoen. 482.

Speciem proverbialem cum in his locis tum in aliis inesse, ubi πῦρ adhibeatur ad designandam vehementiam, audaciam, impudentiam, iam Musgravius animadvertit. Huc pertinent Soph. Oed. Reg. 174:

ἄλλον δ' ἂν ἄλλῳ προσίδοις
ἅπερ εὔπτερον ὄρνιν
κρεῖσσον ἀμαιμακέτου πυρὸς ὄρμενον
ἀκτὰν πρὸς ἑσπέρου θεοῦ,

quocum cf. ibid. 166: φλόγα πήματος de Sphinge, et Eur. Hec. 607:

ἀκόλαστος ναυτική τ' ἀναρχία
κρείσσων πυρός,

coll. eiusd. frgt. 690: ὄμμα γὰρ πυρὸς γέμει. **Digna** sunt quae advocentur Homerica *N* 330: φλογὶ εἴκελον ἀλκήν, *Λ* 596 = *P* 366: ὣς οἱ μὲν μάρναντο δέμας πυρός, *P* 565, *Y* 371. Atque quis est cui non in mentem veniat nostri „Feuereifer?" Convicii loco ignis ponitur ab Soph. Phil. 927:

ὦ πῦρ σὺ καὶ πᾶν δεῖμα,

quibus verbis Philoctetes in Neptolemum invehitur, et ab Eur. Androm. 271: ἃ δ' ἔστ' ἐχίδνης καὶ πυρὸς περαιτέρω. Eodem videtur spectare Eur. frgt. 432:

ἀντὶ πυρὸς γὰρ ἄλλο πῦρ
μεῖζον ἐβλάστομεν γυναῖ-
κες πολὺ δυσμαχώτερον.

Similia inveniuntur apud Aristoph. Equ. 384, Lysist. 1015; Paus. VII, 12, 2. Cf. Men. mon. 231:

θάλασσα καὶ πῦρ καὶ γυνὴ τρίτον κακόν.

Quae insociabilia sunt natura, nequeunt in unum coniungi. Huc spectat versus Sophocleus ab App. prov. IV, 27 allatus, cuius nulla apud alios mentio fit: frgt. 285:

ὀξηρὸν ἄγγος οὐ μελισσοῦσθαι πρέπει,

qui explanatur ibidem ἐπὶ τοῦ ἀναξίου.

Simile legitur in Aeschylo, qui de discrepantibus vocibus Graecorum superantium victorumque Troianorum utitur hac imagine Agam. 322:

ὀξός τ' ἄλειφά τ' ἐγχέας ταὐτῷ κύτει
διχοστατοῦντ' ἄν, οὐ φίλω, προσεννέποις,

qui locus non carere mihi videtur colore proverbiali. Ceterum scripsi in v. altero φίλω, quod Auratus verissime coniecit pro φίλως librorum.

Denique eleganter Aeschylus Minervam loquentem facit, Athenienses non audere veterrimas Areopagitarum leges mutare novis additamentis, nam, ut est in Eum. 697:

κακαῖς ἐπιρροαῖσι βορβόρῳ θ' ὕδωρ
λαμπρὸν μιαίνων οὔποθ' εὑρήσεις ποτόν.

Receperunt hos in proverbium profectos versus Zen. II, 76, qui hanc habet explicationem: ἐπὶ τῶν τὰ κάλλιστα μιγνύντων τοῖς αἰσχίστοις, Diog. III, 55; D. V. II, 7; G. C. L. I, 68; G. C. M. II, 39; Mac. II, 84: tres posteriores paulo recedunt ab forma genuina.

Erat proverbium: ἔξω (ἐκτὸς) πηλοῦ πόδα (ἔχειν)· ἐπὶ τῶν ἔξω κινδύνου καθεστώτων, testibus Zen. III, 62; G. C. II, 49; D. V. II, 62; G. C. M. III, 22; Mac. III, 67; Mant. prov. I. 51; Schol. Aesch. Cho. 697; Suida s. αἴρειν ἔξω πηλοῦ πόδα et s. ἐκτός. Usurpat Aesch. Cho. 697:

καὶ νῦν Ὀρέστης
ἔξω κομίζων ὀλεθρίου πηλοῦ πόδα.

Transiit adagium in linguam Latinam, nam Plaut. Pseud. 967 habet: „nunc homo in medio lutost." Saepius alludunt tragici: Aesch. Prom. 263:

ἐλαφρὸν, ὅστις πημάτων ἔξω πόδα
ἔχει, παραινεῖν κτλ.,

Eur. Hipp. 1293: πῶς οὐχ . . .
πήματος ἔξω πόδα τοῦδ' ἀπέχεις,

eiusd. Heracl. 109:

καλὸν δέ γ' ἔξω πραγμάτων ἔχειν πόδα.

Sophocles paulo audacius mutavit Phil. 1260: ἴσως ἂν ἐκτὸς κλαυμάτων ἔχοις πόδα, coll. ibid. 504: ἐκτὸς ὄντα πημάτων. Adicio Pind. Pyth. IV, 513: καλὰ γινώσκοντ' ἀνάγκᾳ / ἐκτὸς ἔχειν πόδα.

De usu proverbiali vocum σκιά, καπνός, ὄνειρος infra p. disseram.

§ 3: Proverbia de gentium hominumque singulorum indole moribusque prompta.

Argivi infames erant furtis. Huc spectat Soph. frgt. 200: καὶ γὰρ Ἀργείους ὁρῶ, quo de versiculo haec leguntur in App. prov. III, 35: εἴρηται δὲ ἐπὶ τῶν ἐκπενῶς ὁτιοῦν βλεπόντων καὶ καταπληκτικόν τι δοκούντων ὁρᾶν. οἱ δὲ ἐπὶ τῶν εἰς κλοπὴν ὑπονοουμένων κωμῳδοῦνται γὰρ Ἀργεῖοι ἐπὶ κλοπῇ, idemque fere apud Suid. s. Ἀργείους ὁρᾷς et ap. Mac. II, 38. Utraque autem explanatio hunc in modum in unam coniungenda videtur Papeo iudice (vid. Lexic. s. Ἀργεῖοι): ubi quis Argivos fures infamatos videbat, non mediocriter stupebat metuens, ne illi sibi quid mali inferrent. Contra Crusius l. c. p. 151 suspicatur, alteram explicationem esse tragoediis accommodatam, „alteram a comoedis repetitam tragoedorum versus ad aliud argumentum facete detorquentibus."

Argivorum breviloquentia non minus quam Laconum proverbialiter videtur celebrata esse: satis quidem erat nota. Vid. Erasm. p. 574. Argivorum rex postquam Danao filiisque supplicibus gentis suae originem exposuit, orationem brevem finit admonens, ut item breviter unde ipsarum sit origo respondeant, nam, ut est in Aesch. Suppl. 273:

μακρὰν γε μὲν δὴ ῥῆσιν οὐ στέργει πόλις

(sc. Argivorum). Idemque iam antea Danaus filiis suaserat:

v. 200: *καὶ μὴ πρόλεσχος μηδ' ἐφολκὸς ἐν λόγῳ*
γένῃ· τὸ τῇδε κάρτ' ἐπίφθονον γένος.

Atque etiam Sophocles hoc Argivorum studium breviter loquendi bis respicit:

frgt. 61: *ῥῆσις βραχεῖα τοῖς φρονοῦσι σώφρονα*
πρὸς τοὺς τεκόντας καὶ φυτεύσαντας πρέπει,
ἄλλως τε καὶ κόρῃ τε κ ἀ ρ γ ε ί ᾳ γ έ ν ο ς,
αἷς κόσμος ἡ σιγή τε καὶ τὰ παῦρ' ἔπη,

et frgt. 421:

πάντ' οἶσθα, πάντ' ἔλεξα τἀντεταλμένα·
μ ῦ θ ο ς γ ὰ ρ Ἀ ρ γ ο λ ι σ τ ὶ σ υ ν τ έ μ ν ε ι ν β ρ α χ ύ ς.

Hos versus adscripsit schol. ad Pind. Isthm. VI, 87:
τὸν Ἀργείων τρόπον / εἰρήσεται πάντ' ἐν βραχίστοις.

Lacedaemoniorum perfidia notatur ab Eur. Suppl. 187:

Σπάρτη μὲν ὠμὴ καὶ πεποίκιλται τρόπους,

Androm. 445: *ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἔχθιστοι βροτῶν*
Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια,
ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν,
ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιές, ἀλλὰ πᾶν πέριξ
φρονοῦντες,

quem locum exhibuit Apost. XVIII, 62 b. Memorabilis scholiastae nota: *ταῦτα ἐπὶ τῷ Ἀνδρομάχης προσχήματί φησιν Εὐριπίδης λοιδορούμενος τοῖς Σπαρτιάταις διὰ τὸν ἐνεστῶτα πόλεμον*: quippe cum omnino haec fabula initio belli Peloponnesiaci docta abundet conviciis Lacedaemoniorum. Similia leguntur in Aristoph. Pac. 623, Acharn. 308, Lys. 629, de quibus locis disserit Bauckius p. 37. —

Ex Thessalorum calliditate ortum est proverbium *Θ ε σ σ α λ ὸ ν σ ό φ ι σ μ α*, quod usurpavit Eur. Phoen. 1407:

καί πως νοήσας Ἐτεοκλῆς τ ὸ Θ ε σ σ α λ ὸ ν
ε ἰ σ ή γ α γ ε ν σ ό φ ι σ μ' ὁμιλίᾳ χθονός.

Nuntii sunt verba, qui certamen singulare Eteoclis et Polynicis enarrans exponit, quo dolo tandem ille vulnus letale fratri intulerit. Eteocles enim pedem sinistrum paulo retro fert, inguina sua tegens, dextro autem pede praegressus hastam in fratris umbilicum infigit. Videtur igitur singulare Thessalorum artificium fuisse, quod vero infame erat, quia non in aperto et corporis viribus nixi pugnaverunt, sed fallacias dolosque adhibuerunt ad adversarium superandum. Hanc interpretationem, quam praebent scholl. A C M et Eust. Jl. 331, locus Euripideus ipse postulat; neque igitur comprobo, si qui explicant ἁπλῶς τὸ πανούργημα aut ex fabula quadam derivant τὸ Θεσσαλὸν σόφισμα. Paroemiographi indicant, quadrare proverbium ἐπὶ τῶν σοφιζομένων (Zen. IV, 29) aut ἐπὶ τῶν σοφιζομένων καὶ κακουργούντων (App prov. IV, 93, coll. III, 20) aut ἐπὶ τῶν τι σοφιζομένων ἢ τεχναζομένων (Mac. IV, 66) aut ἐπὶ τῶν μηχανοποιῶν (Mant. prov. I, 70). Bene Hesych. s. v: ἐπὶ τῶν σοφιζομένων λεγομένη καὶ μὴ ε(ὐ)θυμαχούντων. Discrepant cum his schol. C. Euripid. et Suid. s. v. —

Omnino propter malas artes et perfidiam Thessalos male audivisse in Graecia, pluribus veterum auctorum locis probant scholl. ad Eur. Phoen. 1408: Aristoph. Plut. 521:

> ἔμπορος ἥκων ἐκ Θετταλίας παρ'
> ἀπίστων ἀνδραποδιστῶν,

eiusd. Nub. 749: γυναῖκα φαρμακίδ' εἰ πριάμενος Θετταλήν, Demosth. Olynth. I, 21: εἶτα τὰ τῶν Θετταλῶν· ταῦτα γὰρ ἄπιστα μὲν ἦν δήπου φύσει καὶ ἀεὶ πᾶσιν ἀνθρώποις,

imprimis Eur. frgt. 426:

> πολλοὶ παρῆσαν, ἀλλ' ἄπιστα Θεσσαλῶν.

Pro *Θεσσαλοῖς* scribendum esse *Θεσσαλῶν* viderunt Valckenarius et Hemsterhusius. Affert eundem versum schol. Arist. Plut. l. c. addens: *διαβάλλονται δὲ οἱ Θετταλοὶ ὡς ἀνδραποδισταὶ καὶ αἰσχροκερδεῖς καὶ ἄπιστοι.* Denique comparentur Xerxis illud: *σοφοὶ ἄνδρες εἰσὶ Θεσσαλοὶ* quaeque Herodotus VII, 130 de colloquio Persarum regis et Thessalorum tradidit. —

Soph. frgt. 878: *ὅταν τις ᾄδῃ τὸν Βοιώτιον νόμον* pertinet ad modum musicum Boeoticum, quem talem fuisse dicunt, ut initio quidem quietus esset, postea vero magis magisque ad summos ardores raperet. Vid. Plehn. „Lesbiaca" p. 161. Meminit eius Aristoph. Acharn. 14: *Δεξίθεος εἰσῆλθ' ᾀσόμενος Βοιώτιον,* ubi scholl. docent de Terpandri nomo musico cogitandum esse. De proverbii vi Zen. II, 65 haec perhibet: *Βοιώτιος νόμος· ἐπὶ τῶν τὰς μὲν ἀρχὰς ἠρεμούντων, ὕστερον δὲ τοῖς κακοῖς ἐπιτεινόντων*; Plut. prov. I, 77, Apost. V. 4, Suid. s. v. scribunt: *ἐπὶ τῶν τὰς ἀρχὰς μὲν ἠρεμαίως ἐχόντων, αὖθις δὲ σφοδρῶς ἐπιγιγνομένων;* G. C. I, 92 (coll. Mosq. II, 47) et Mac. II, 80 denique: *ἐπὶ τῶν κατ' ἀρχὰς ἠρεμούντων, ὕστερον δὲ ταρασσόντων* (sive *ταρασσομένων*). Quae autem Zen. l. c. adiecit: *εἴρηται δὲ ἡ παροιμία, παρόσον Βοιωτοὶ πρότερον βίον ἄλυπον καὶ ἤρεμον ἔχοντες, μετὰ τελευτὴν Λαΐου πολλοῖς κακοῖς περιέπεσον* alucinationis speciem prae se ferunt. —

Aegyptiorum animus fraudulentus et dolosus proverbium excitaverat, quod legimus in Aesch. frgt. 363:

δεινοὶ πλέκειν τοι μηχανὰς Αἰγύπτιοι.

Explicant Zen III, 37, Diog. IV, 35, Mac. III, 21, Apostol. V, 95: *ἐπὶ τῶν σφόδρα κακουργοτάτων· τοιοῦτοι γὰρ οἱ Αἰγύπτιοι;* G. C. L. I, 88 et G. C. M. II. 84 omiserunt interpretationem. Passim adagium apud alios auctores recurrere adnotat Nauckius. In Soph. frgt. 362;

πρῶτον μὲν ὄψει λευκὸν ἀνθοῦντα στάχυν
ἔπειτα φοινίξαντα γογγύλον μόρον,
ἔπειτα γῆρας λαμβάνεις Αἰγύπτιον

videtur γῆρας Αἰγύπτιον proverbii loco aetatem provectiorem significare. De monstro illo plura habet Hygin. fab. 136.

Iuvat ex Diog. VI, 24 hos incerti auctoris senarios apponere:

Ἄνδρὶ πονηροὶ δεύτεροι δ' Αἰγύπτιοι
τρίτοι δὲ πάντων Κᾶρες ἐξωλέστατοι,

quibus ultro traducimur ad Lydos et Cares.

Lydi infamati erant propter luxuriam, unde Aesch. Pers. 41.:

ἁβροδιαίτων Λυδῶν ὄχλος,

ibique schol. commemorat proverbium Λυδῶν καρύκας, quod excerpsit Zen. V, 3. —

Cares quod primi omnium mercede conducti militasse dicuntur, Graecis erant invisissimi. Huc spectat Eur. Cycl. 654:

ἐν τῷ Καρὶ κινδυνεύσομεν,

quibus verbis chorus satyrorum, recusans Ulixem in Cyclope occaecando adiuvare, facete haec fere exprimit: nos, quorum vita magni aestimanda est, extra periculum stabimus, et te, vile ignobileque caput, morti pro nobis obiciemus. Paulo mutantes solebant vulgo dicere: ἐν Καρὶ κίνδυνος sive τὸν κίνδυνον, si quis periculum sibi imminens propulsabat, aliquid deterius imprimis animam humiliorem pro se discrimini offerens. Hoc docet Hesych. s. v.: παροιμία ἐπὶ τῶν ἐν εὐτελέσι τὰς πείρας ποιουμένων. Itaque Aristid. I, p. 163 contraria opponens: ἐν τῷ Καρὶ, inquit, καὶ οὐκ ἐν τοῖς ἑαυτῶν σώμασι τὴν πεῖραν ποιούμενοι. Κὰρ igitur erat Graecis, qui pro aliis molestias mercede suscipiebat; vid. Suid,

s. ἐν Καρί. Paroemiographi unam formam ἐν Καρὶ τὸν κίνδυνον habent; interpretationem nostram praebent pluribus Zen. III, 59 et Apost. VII, 39 (coll. VII, 25); G. C. M. III, 45 autem nihil adscribit nisi: ἀντὶ τοῦ οὐ περὶ μεγάλων ὁ κίνδυνος. Usurpatur proverbium saepissime plus minus mutata forma: Archil. frgt. 24: καὶ δὴ 'πίκουρος ὥστε Κὰρ κεκλήσομαι; Cratin. Com. frgt. Mein. II, p. 30 = Philem. ibid. IV, p 8: ἐν Καρὶ τὸν κίνδυνον. Plut. Euthyd. 285 C: ὥσπερ ἐν Καρὶ ἐν ἐμοὶ ἔστω ὁ κίνδυνος et Lachet. 187 B: σκοπεῖν χρὴ οὐκ ἐν τῷ Καρὶ ὑμῖν ὁ κίνδυνος. κινδυνεύηται, ubi schol. larga manu exempla collegit. Falso autem veteres interpretes advocaverunt Hom. Jl. I 378: ἐν καρὸς αἴσῃ, quod alio modo esse explicandum hodie constat. Celeberrimus autem locus non modo de Caribus, sed etiam de vicinis est Cic. pro Flacc. c. 27: „namque ut opinor Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. Utrum igitur nostrum est an vestrum proverbium, Phrygem plagis fieri meliorem? Nonne hoc vestra voce vulgatum est, si quid cum periculo experiri velis in Care id potissimum faciendum? Quid porro in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est quam si quis depicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur? Num quid ego dicam de Lydia? Quis unquam Graecus comoediam scripsit, in qua servus primarum partium non Lydus esset?" Praeterea vid. quae Erasm. p. 182 scripsit.

Proverbio Φρὺξ ἀνὴρ πληγεὶς ἀμείνων καὶ διακονέστερος, quod Cicero l. c. latine vertit, adducor, ut pauca dicam de inertia ignaviaque Phrygum. Quae vitia notat Rhes. 814:

φροῦδοι δ' ἄπληκτοι τῇ Φ ρ υ γ ῶ ν κ α κ α ν δ ρ ί ᾳ
πόλλ' ἐγγελῶντες σῷ στρατηλάτῃ τ' ἐμοὶ (sc. Hectori),

et Eur. Or. 1448: οὐκ ἐκποδὼν ἴτ', ἀλλ' ἀεὶ κακοὶ Φ ρ ύ γ ε ς;

Itaque contumeliae causa servis aliisque cognomen *Φρύξ* dabatur, cf. Eur. Alc. 675:

ὦ παῖ, τίν' αὐχεῖς, πότερα Λυδὸν ἢ Φρύγα
κακοῖς ἐλαύνειν ἀργυρώνητον σέθεν:

Venio ad **M y s o s**, quorum Cic. l. c. meminit. Ex contemptu, in quo habebatur Mysorum gens, natum est proverbium *ε ἴ σ ο ι Μ υ σ ὸ ν ἥ δ ι ο ν κ α λ ε ῖ ν.* Sunt verba Platonis Gorg. 521 B, ubi *Σωκρ.*: *κολακεύσοντα ἄρα με, ὦ γενναιότατε, παρακαλεῖς· Καὶ εἴ σοι Μυσόν γε ἥδιον καλεῖν, ὦ Σώκρατες,* quem ad locum Olympiodorus (in Archiv. f. Philolog. u. Pädagog. vol. IV, p. 527) haec profert: *ἡ παροιμία αὕτη τοῦ Τηλέφου ἐστὶν Εὐριπίδου. ἐκεῖ γὰρ ἐρωτᾷ τις περὶ τοῦ Τηλέφου καὶ φησὶ τὸ Μυσὸν Τήλεφον. εἴτε δὲ Μυσὸς ἦν εἴτε ἄλλοθέν ποθεν, πῶς ὅτι* [sic!] *ὁ Τήλεφος γνωρίζεται.“ οὕτω καὶ ἐνταῦθα· εἴτε κόλακα θέλεις εἰπεῖν τὸν τοιοῦτον εἶναι περὶ τὴν πόλιν.* Euripidis quae sunt, correxit Nauckius hunc in modum (frgt 703):

οἶδ' ἄνδρα Μυσὸν Τήλεφον . . . .
εἴτ' ἐστὶ Μυσὸς εἴτε κἄλλοθέν ποθεν,
[ἐκ τοῦ] προσώπου Τήλεφος γνωρίζεται.

De origine et vi proverbii mira evolvit App prov. II, 28: *Μυσός τις μυσὸς ἐβούλετο καλεῖσθαι· ἀπό τούτου ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν μὴ τὰ οἰκεῖα ἀλλὰ τὰ ἐπίθετα προτιμώντων.* —

Quanto in odio fuerint **M y s i** elucet ex Rhes. 252: *π ο τ ὶ Μ υ σ ῶ ν, ὃ ς ἐ μ ὰ ν σ υ μ μ α χ ί α ν ἀ τ ί ζ ε ι.* Praemoneo, me Dindorfium secutum interpungere, ita ut haec verba per se stent et ab verbis antecedentibus: *ἔνι δὲ θράσος ἐν αἰχμᾷ* puncto distinguantur. Hic igitur sensus prodit: ex Mysis est qui societatem meam contemnit i. e. si quis audet Troianorum exercitui eiusque sociis ignaviam crimini dare, idem valet quod

Mysus, quem nullius pretii esse notum est. Hanc interpretationem scholiastae probandam esse censeo, alteram autem, quam profert, eorum qui non interpungunt, refuto. Neque minus improbo, quod scholiastes et interpretes suspicantur, poetam ad pervulgatum proverbium *ἔσχατος Μυσῶν* (de quo vid. App. prov. II, 85; D V II, 47, alios) alludere voluisse. Minime: in tantam turpitudinem abierant Mysi, ut solum nomen *Μυσός* proverbialiter significaret hominem *οὐδενὸς λόγου ἄξιον*. Neque discrepat Romanorum usus: cf. Cic. epist. ad Quint. fratr. I, 1, 19: „nisi forte me Paconii nescio cuius, hominis ne Graeci quidem ac Mysi aut Phrygis potius, querelis moveri putas.“ —

Cum Teucer obiurgans Menelaum dicat in Soph. Aiac. 1295: *αὐτός τε μητρὸς ἐξέφυς Κρήσσης* ipsum nomen *Κρήσσης* non vacuum esse acerbitate apte monet Lobeckius, Platonem afferens in *Ἑορταῖς* ap. schol. Aristoph. Av. 799: *τὸν μαινόμενον τὸν Κρῆτα, τὸν μόγις Ἀττικόν* ipsumque Menelaum *ἡμίκρητα* dici apud Lycophron. 150 —

Ex more Scytharum capillos usque ad cutem tondendi ductus erat verbi *σκυθίζω* usus de iis, qui ad luctus signum capillos tondebant. Ita Eur El 241:

καὶ κρᾶτα πλόκαμόν τ' ἐσκυθισμένον ξυρῷ.

eiusd. Troad. 1026: *ἣν χρῆν . . . .*

κρᾶτ' ἀπεσκυθισμένην / ἐλθεῖν,

simile Soph. frgt 429: *Σκυθιστὶ χειρόμακτρον ἐκκεκαρμένος,* de quo vid Hesych. s. *Σκυθιστὶ χειρόμακτρον.* —

In Graecorum fabulis Hyperborei beatissimi omnium populorum praedicabantur, qui sub coelo semper sereno et diutius quam ceteri mortales viverent. Felicitatem eorum celebravit Pindarus in Pyth. X, 30 sqq. Huc spectat Aesch. Cho. 372;

ταῦτα μέν, ὦ παῖ, κρείσσονα χρυσοῦ
μεγάλης δὲ τύχης καὶ Ὑπερβορέων
μείζονα φωνεῖς.

Sunt chori ad Electram, quae depinxerat sibi in mente, quam felices fuissent ipsa totaque domus, si Agamemno honeste ante Troiae moenia cecidisset. —

Restat excutiendum Soph. frgt. 722:

Μολοσσικαῖσι χερσὶν ἐκτείνων χέρας,

quod prodiit ex Gramm. Ambros. in Keilii Anal. grammat. (Progr. Pädagog. Hal. 1848) p. 8, 15, qui de nominibus pedum agens de Molosso haec scribit: *Μολοσσὸς δὲ κέκληται ἀπὸ Μολοσσῶν, ὡς ὁ Κρητικὸς ἀπὸ τῶν Κρητικῶν, ἢ ὅτι τὰ μεγάλα Μολοσσικὰ ἐκάλουν. Σοφοκλῆς· Μολ. χ. ἐκτ. χ.* Nauckio vitiosa esse videntur alia in hoc fragmento praeter *χεῖρας*, quod emendavit Keilius. Utut id est nos nihil delectat nisi adnotatio indicans, magna vocari *Μολοσσικά*. Unde haec significatio fluxerit, enodare nequeo; fortasse, siquidem suspicionem eloqui licet, inde, quod canes Molossi, tota antiquitate celeberrimi, erant magni. Quod cum aliunde constat tum ex Suida docente: *Μολοσσὸς καὶ Μολοττὸς κύων ὁ ποιμενικὸς καὶ μέγας.* Alia exempla vocis *Μολοσσικὸς* hoc sensu adhibitae praesto mihi non sunt. —

Plurimus est usus locutionum eas res denotantium, quae imprimis in regione aliqua gignuntur vel praecipue a gente quadam procreantur. *τἀπὸ Σάρδεων ἤλεκτρον*: Soph. Ant. 1037. *Ἰνδικὸν χρυσόν*: Soph. Ant. 1037. *Πακτωλὸς εὔχρυσος*: Soph. Phil. 394. *Λυδοὶ πολύχρυσοι*: Eur. Bacch. 13. *Φρύγες πολύχρυσοι*: Eur. Hec. 492, Hel. 928, coll. Troad. 994; *ἐν πλούτῳ Φρυγῶν*: Soph. Aiac. 488.

Phryges narrabantur tibias invenisse; inde: *Φρύγιος αὐλός*: Eur. Bacch. 127, Iph. Aul. 576. *Φρυ-*

γίαι βοαί: Eur. Bacch. 159. Φρύγια μέλεα: Troad. 544. Λίβυς λωτός: Eur. Iph. Aul. 1036, Troad. 544. Λίβυς αὐλός: Eur. Alc. 346.

Σύριος λίβανος: Eur. Bacch. 144, coll. Σύριον ἀγλάϊσμα: Aesch. Agam. 1312.

Τυρσηνικὴ σάλπιγξ, quam Tyrrheni invenisse dicuntur, commemoratur ab: Aesch. Eum. 567; Eur. Heracl. 830, Phoen. 1377; Rhes. 988; et Τυρσηνικὴ κώδων ab Soph. Aiac. 17.

Φοίνισσα ναῦς: Aesch. Pers. 410, Φοίνισσα κώπη: Eur. Hel. 1272, 1451 (Φ. Σιδωνίας κώπα). Σιδωνία ναῦς: Eur. Hel. 1413, 1531, Φοῖνιξ ἀνὴρ Σιδώνιος κάπηλος: Soph. frgt. 823.

πλεκτὰ Αἰγύπτου παιδεία: Eur. Troad. 128 i. e. schol. interprete vela ex papyro confecta.

Σκύθης σίδηρος: Aesch. Sept. 817, Σκυθικὰ βέλη: Aesch. Cho. 160.

Apud Chalybes, gentem Scythicam, tradunt ferrum esse natum, iique σιδηροτέκτονες celebrantur ab Aesch. Prom. 714; tum: ὁ ἐν Χαλύβοις σίδαρος: Eur. Alc. 980, ἄτερ χαλυβδικοῦ: Eur. Heracl. 161 i e. sine gladio, Χαλύβῳ πελέκει: Eur frgt 475, v. 6. Quin etiam χάλυψ substantivum usurpatur: Aesch. Prom. 133, Soph. Trach. 1260 valetque ferrum.

Qui mos adiectiva ab nominibus gentium regionumve derivata substantivis ornandi causa adiciendi, etiam nostratibus satis perfamiliaris, videtur mihi quodammodo proverbialis aestimandus. Nam quod proverbii tritissimi est, hic valet: nummorum instar vulgo receptorum usurpatorumque a poetis adhibentur ad sermonem comendum sibi consciis, neminem popularem quid velint nescire. —

Adiungo nonnulla **proverbia** a **locorum situ naturave orta**.

Ab Scytharum solitudinibus ortum erat proverbium *Σκυθῶν ἐρημία*, de quo vid. App. prov. IV, 75; Mac. VII, 66; Apost. XV, 54; Hesych.; Bauckium, qui p 44 id docte tractavit. Alludit Aesch. Prom. 2, ubi *Κράτος* et *Βία*, ab Iove ad Prometheum in Caucaso vinciendum missi, sic loquentes inducuntur:

χθονὸς μὲν ἐς τηλουρὸν ἥκομεν πέδον,
Σκύθην ἐς οἶμον, ἄβροτον εἰς ἐρημίαν.

Proprie igitur dicebatur proverbium Macario l. c. auctore *ἐπὶ τῶν ἐρήμων καὶ ἐξηγριωμένων τόπων*, tralatam autem eius vim evolvit Hesych. s v.: *τίθεται τοίνυν ἐπὶ τῶν ἐρημουμένων ὑπό τινων*. Cf. Arist Acharn. 704, Lucian. Amor. c 36, Plut. de stoic rep. c. 20, p. 1043 E.

In Soph. frgt. 703:

Ἄθως σκιάζει νῶτα Λημνίας βοός

pro *νῶτα* scribunt Plut. fac. lun. 22, Suid., Paroemiogr. *πλευρὰ* et Suid., Paroemiogr. habent pro *σκιάζει*: *καλύπτει*, Plut. autem *καλύψει*. Quae variae lectiones cum versus sensum non tangant, in medias res eamus. De fonte proverbii Etym. M. 26, 16; Plut de fac. in orbe lun. 22, p 935 F; Mac. I, 46 docent haec: stabat in foro Myrinae, urbis Lemniae, bucula aenea (aut marmorea), cuius tergum sive latera Athos mons inumbrabat. Quoniam autem mons ille quingenta circiter stadia ab insula abest, quadrabat proverbium in eos, qui quamvis procul absentes nocere possunt. Apost. I, 57: *λέγεται δὲ ἐπὶ τῶν λυπούντων τινὰς ἢ βλαπτόντων*, Eust. ad Jl, p. 980, 44: *δόξειε δ' ἂν τεθῆναι ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν ἐχόντων καὶ πόρρωθεν ἐφικνεῖσθαι ἢ καθικνεῖσθαι τῶν ταπεινοτέρων δι' ὑπεροχήν τινα κτλ.*; falsa autem videtur praebere Mac. I, 46: *ἐπὶ τῶν βλαπτ-*

ὄντων ἐκ γειτνιάσεως. G. C. I, 73 et G. C. M. I, 70 interpretationem omiserunt. — Similem autem imaginem adhibemus in sententia satis nota: „künftige (grosse) Ereignisse werfen ihre Schatten voraus.“ —

Scyri insulae sterilitatem infamem respicit Neoptolemus Soph. Phil. 459:

ἀλλ' ἡ πετραία Σκῦρος ἐξαρκοῦσά μοι
ἔσται τὸ λοιπόν . . .

Ex loci natura etiam ortum erat proverbium ἀρχὴ Σκυρία· ἐπὶ τῶν εὐτελῶν καὶ μηδὲν λυσιτελὲς ἐχόντων (Zen. I, 32; Diog. I, 30, aliis auctoribus). Atque videntur Athenienses subaudivisse hanc insulae malam famam, ubicunque nomen eius apparuit, similiter atque Solon ad significandam regionem quam maxime contemptam Pholegandrum et Sicinum commemorat in frgt. 2. Cf. Eur. Androm. 210: τὴν δὲ Σκῦρον οὐδαμοῦ τίθῃς. —

Hucusque perlustravimus proverbia ex gentibus locorumque natura profecta. Iam vero sequantur ex indole, moribus, facinoribus hominum singulorum nata adagia.

Ex Ogyge vel Ogygo, pervetusto fabulis celebrato rege vel Atticae vel Thebarum vel (ut vult schol. Hesiod. Theog. 806) deorum, antiqua omnia et veneranda Ὠγύγεα proverbialiter dicebantur. Etym. M. 820, 37: πᾶν τὸ ἀρχαῖον ὠγύγιον φασὶ διὰ τὸ πολὺ αὐτὸν (sc. Ὤγυγον) γενέσθαι ἀρχαιότατον, Hesych: ὠγύγια· ἀρχαῖα τείχη et ὠγυγίου· παλαιοῦ, ἀρχαίου, μεγάλου πολύ, Suid.: ὠγύγιον· ἀρχαῖον, παλαιὸν ἢ ὑπερμέγεθες ἢ διὰ τὸ Ὤγυγον πρῶτον ἄρξαι τῶν Θηβῶν. In tragoediis haec exempla repperi: Athenae ὠγύγιαι vocantur: Aesch. Pers. 974, Thebae: Aesch. Pers. 37, Sept. 321; Soph. Oed. Col. 1770. Ὠγύγια πυλώματα: Eur. Phoen.

1113. Aesch. Eum. 1036 πρόπομποι hoc votum ad Furias faciunt:

βᾶτε . . . . γᾶς ὑπὸ κεύθεσιν ὠ γ υ γ ί ο ι σ ι.

Neoptolemus summam potestatem ab Peleo et Achille hereditate accepit, ut ait chorus Soph. Phil. 141: σοὶ δ', ὦ τέκνον, τόδ' ἐλήλυθεν / πᾶν κράτος ὠ γ ύ γ ι ο ν, ibique apte schol.: ὠγύγιον· τὸ ἐξ ἀρχῆς τιθέμενον κράτος. Ex aliis poetis satis sit adiecisse: Hesiod. Theog. 805: Στυγὸς ἄφθιτον ὕδωρ, ὠγύγιον et Pind. Nem. VI, 49: Φλιοῦντος ὑπ' ὠγυγίοις ὄρεσιν. In corpore paroem. nihil legitur nisi in App prov. V, 42 (quocum congruit Suid. s. v): Ὠγύγια κακά ἐπὶ τῶν ὀχληρῶν. ἐπεὶ συνέβη Κάδμον τὸν Ὠγύγου διὰ τὰς θυγατέρας κακῶς περιπεσεῖν. Ἄμεινον δὲ λέγειν „ὠγ.'για κακά“ τὰ παλαιά. τοῦτο γὰρ ἡ λέξις δηλοῖ, cui addo Eust. Od. 1393, 31: ὠγύγια μέντοι ἁπλῶς οἷον κακὰ ἤ τι ἕτερον, τὰ ἀρχαῖα κτλ. —

Eur. Hec. 836: εἴ μοι γένοιτο φθόγγος ἐν βραχίοσι
καὶ χερσὶ καὶ κόμαισι καὶ ποδῶν βάσει
ἢ Δ α ι δ ά λ ο υ τ έ χ ν α ι σ ι ν ἢ θεῶν τινος . .

evidenter respicit proverbium notissimum Δ α ι δ ά λ ε ι α π ο ι ή μ α τ α, quod est ap. Zen. III, 7; App. prov. I, 91; D. V. II, 36; G. C. L. I, 90; Mac. III, 14; Apost. V, 80. De proverbii origine proferunt Zen., schol. Plat. 367, schol. Eur. l. c., Daedalum primum in hominum statuis et oculos et pedes ita finxisse, ut imagines vivere, quin etiam currere viderentur. (cf. Eur. frgt. 373). Inde οἱ μὲν ἐπὶ τῶν παραδόξων ἔργων, οἱ δὲ ἐπὶ τῶν ἀκριβούντων τὰς τέχνας φασὶν εἰρῆσθαι τὴν παροιμίαν. Aptior est loco nostro interpretatio in App. prov. I, 91 obvia; ἐπὶ θαυμαστῶν. Profecto enim θαυμαστότατον esset, si brachia, manus, crines, pedes

Hecubae vocem emitterent! Exempla auctorum, qui proverbium usurpaverunt, Schneidewinus in adnot. ad Zen. l. c. comportavit. —

Quod schol. Eur. Orest. 6 testatur, ex hoc ipso loco ortum esse adagium *Ταντάλου φόβον φοβοῦμαι*, haud alienum mihi videtur id paucis attingere. Euripides enim recedens ab fabula Homerica finxit, Tantalum ea poena esse affectum a deis, ut ei in aere suspenso impenderet magnum saxum perpetuo libratum, quod ne delabens se contunderet vir infelix semper metuebat. Iam in Archil. frgt 53, Alcae. frgt 93, Pind. Isthm. VII, (VIII), 10 commemoratur *Ταντάλου λίθος*. Ex altera fabulae versione fluxit adagium ab eodem schol. adscriptum: *Ταντάλου δίψαν διψῶ*. Utrumque desideratur in corpore paroemiogr. —

Tradunt Daedalum Perdicis sororis filium, cuius arti invideret, Athenis de arce deiecisse; matrem autem dolore filii mortui captam vitam suspendio finivisse: unde ab Atheniensibus cultam esse sacro. Ita natum proverbium *Πέρδικος ἱερόν*, cuius mentio fit in Soph. frgt. 301, usurpabatur *ἐπὶ τῶν ἀνδρείων*, testibus Suida s v. et Apost. XIV, 17. —

Orphei Thracii illius vatis, qui cantu suo non solum saxa, animalia, arbores, fluvios rapuisse, verum etiam Eurydicam uxorem ex Orco in lucem duxisse dicitur, *γλῶσσα, μέλος, λόγος, ἐπῳδή* proverbii fere locum obtinuisse videntur, adhibita ad denotandam vocem suavissimam omniumque animos permoventem. Haec quidem ratio valet in his locis tragoediarum:

Aesch. Agam. 1629: *Ὀρφεῖ δὲ γλῶσσαν τὴν ἐναντίαν ἔχεις*, Eur. Alc. 357: *εἰ δ' Ὀρφέως μοι γλῶσσα καὶ μέλος παρῆν*, Med. 543: *Ὀρφέως κάλλιον ὑμνῆσαι μέλος*, Iph. Aul. 1211: *εἰ μὲν τὸν*

Ὀρφέως εἶχον, ὦ πάτερ, λόγον, Cycl. 646: *ἀλλ' οἶδ' ἐπῳδὴν Ὀρφέως ἀγαθὴν πάνυ.* Cf. Plat. Protag. 315 A: *Πρωταγόρας — κηλῶν τῇ φωνῇ ὥσπερ Ὀρφεύς.* Affine est proverbium, quod habet Apost. XVI, 56: *τῆς Ὀρφέως ἀπόζεις κιθάρας· ἐν τῷ λέγειν.* —

Converto me ad proverbia ab sortibus facinoribusque hominum in tragoediis celebratorum orta.

Patris mortem queritur Electra his Soph. El. 284:

κἀπικωκύω πατρὸς
τὴν δυστάλαιναν δαῖτ' ἐπωνομασμένην,

quo referenda est adnotatio Eust. Hom. Od. 1507, 62: *εἰ δὲ τὴν δαῖτα, ἣν ὁ Αἴγισθος πένεται ὅ ἐστιν ἐνεργεῖ ἐλλοχῶν τῷ Ἀγαμέμνονι, ἔστιν εἰπεῖν ὡς καὶ τοῦτο λεχθείη ἂν Ἀγαμεμνόνειος δαὶς ἢ τράπεζα παροιμιακῶς ἐπὶ τῶν ἐπ' ὀλέθρῳ εὐωχουμένων.* Spectat igitur illam fabulae formam quam Hom. Od. *δ* 528, *λ* 411 et Soph. El. 203 saepius proferunt, Agamemnonem ab Aegistho in epulando esse interfectum. In corp. paroem. desideratur adagium. —

Οἰδίποδος ἀραὶ proverbii locum obtinuerunt. Quae dirae quales fuerint, comperimus ex Aesch. Sept. 785:

τέκνοις δ' ἀραίας
ἐφῆκεν ἐπικότους τροφᾶς,
αἰαῖ, πικρογλώσσους ἀράς,
καί σφε σιδαρονόμῳ
διὰ χερὶ ποτὲ λαχεῖν | κτήματα,

Soph. Oed. Col. 1372, ubi Oedipus hic loquitur ad Polynicem:

οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως πόλιν
κείνην ἐρείψεις, ἀλλὰ πρόσθεν αἵματι
πεσεῖ μιανθεὶς χὠ σύναιμος ἐξ ἴσου.
τοιάσδ' ἀρὰς σφῷν πρόσθε τ' ἐξανῆκ' ἐγὼ κτλ.

coll. eiusd. fab. 952, 1384, 1389 sqq, 1406 sq.

Eur. Suppl. 149:

ΘΗ: ὁ δ' Οἰδίπου παῖς τίνι τρόπῳ Θήβας λιπών;

ΑΔ: ἀραῖς πατρῴαις, μὴ κασίγνητον κτάνοι,

coll. eiusd. Phoen. 474, 765, 876, 1053, 1355, 1426, 1611, denique schol. Eur. Phoen. 67: *ἀρᾶται* (sc. Oedipus) *δὲ καὶ αὐτὸς τούτοις* (i. e. filiis) *σιδήρῳ διελέσθαι τὴν βασίλειαν, τουτέστιν ὑπ' ἀλλήλων φονευθῆναι.* Zen. V, 43 duas praebet proverbii interpretationes, quarum altera: *ἱστορεῖται δὲ, ὅτι Ἐτεοκλῆς καὶ Πολυνείκης δι' ἔθους ἔχοντες πέμπειν τῷ Οἰδίποδι ἑκάστου ἱερείου τὸν ὦμον, ἐπιλαθόμενοι ἰσχίαν ἔπεμψαν· ὁ δὲ νομίσας ὑβρίσθαι, κατηράσατο αὐτοῖς* ineptissima est auctoris alucinatio, altera resipiscit: *ἄλλοι δὲ λέγουσιν, ὅτι μετὰ τὸ ἀναγνωρισθῆναι Οἰδίπους τῇ μητρὶ αὐτοῦ Ἰοκάστῃ τὰς ἰδίας ὄψεις ἐτύφλωσεν. γνόντων δὲ τῶν ἐγχωρίων τὸ γενόμενον μύσος καὶ τῶν Θηβαίων Οἰδίπουν ἐξελαυνόντων, τοῖς παισὶ κατηράσατο, ἐπεὶ διωκομένῳ τῆς πόλεως οὐκ ἐπήμυναν. διὰ τοῦτο καὶ ὑπ' ἀλλήλων ὕστερον ἀνῃρέθησαν* Adhibebatur proverbium, ut docent Diog. II, 51; Mac. I, 59; Apost. I, 62: *ἐπὶ τῶν μεγάλως δυστυχούντων.* Adscribunt G. C. M. II, 31: *αἱ φρικταὶ καὶ παλαμναῖαι* et Mac. VI, 24: *αἱ σφοδραί* (sc. *ἀραί*). —

Tecmessa choro postquam descripsit, quomodo Aiax ad occidendos inimicos egressus sit, furore autem captus gregis ingentem caedem fecerit compluresque pecudes, opinatus esse homines, vinctas verberaverit, ita pergit Soph. Aiac 301:

τέλος δ' ὑπᾴξας διὰ θυρῶν σκιᾷ τινὶ
λόγους ἀνέσπα τοὺς μὲν Ἀτρειδῶν κάτα,
τοὺς δ' ἀμφ' Ὀδυσσεῖ, συντιθεὶς γέλων πολὺν,
ὅσην κατ' αὐτῶν ὕβριν ἐκτίσαιτ' ἰών.

Ex altero hemistichio v. 303 natum est proverbium *Αἰάντειος γέλως* testibus Suida et paroemiographis (Zen. I, 43; D. V. I, 17; G. C. L. I, 44; Mac. I, 55; Apost. I, 87) usurpatum *ἐπὶ τῶν παραφρόνως γελώντων.*

Quae proverbia Apost. II, 38 affert: *Ἀλκήστιδος ἀνδρεία· ἐπὶ τῶν καρτερῶν. καὶ Ἀλκήστιδος ἀναβίωσις· ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων καὶ ἀπίστων*, videntur hausta ex Euripidis fabula, cui inscriptum est Alcestidis nomen. Paucis moneo, Alcestidem pro Admeto coniuge voluntariae se obtulisse morti, ab Hercule vero hospite in vitam esse reductam. Apostolius huic narrationi fidem denegans verbose alia ratione Alcestidis *ἀναβίωσιν* studet explanare, Palaephatum (Incred. 41) secutus. Alcestidis singularem erga maritum amorem celebrat proverbium *ἀδέσπωτον* obvium in Anthol. VII, 691. —

Denique in hunc ordinem redigam quae mihi in tragoediis occurrerunt exempla moris Graecorum, animalium fabulosorum nomina transferendi ad homines eandem naturam indolemque habentes. Eaque meo quidem' iudicio proverbialia sunt aestimanda et quod percrebrescunt et quod cognata sunt consuetudini illi bestiarum nomina adhibendi, de qua supra disserui.

Sirenae apellabantur homines et ad bona honestaque perducentes et ad mala turpiaque illicientes Hac vocis vi utitur Eur. Androm. 936:

κἀγὼ κλύουσα τούσδε Σειρήνων λόγους
σοφῶν πανούργων ποικίλων λαλημάτων,
ἐξηνεμώθην μωρία,

quibus verbis Hermione eos significat, qui ipsam incitaverint, ut Andromachae capiti insidiaretur: id quod male ceciderat. Similiter Aeschin. III, 228 Demosthenem cum Sirenis comparat respiciens illius artem dolos

commolientem. Alia exempla suggesserunt Junius (ap. Erasm. p. 1110) et Papeus in Lex. s. v. Cessit etiam vox in nomen substantivum et ponitur pro venustate gratiaque, e. gr. in Eur. frgt. 116.

Scyllam nuncupabant mulierem quamlibet infamem imprimisque crudelem et rapacem. Sic Cassandra de Clytaemnestra ap. Aesch. Agam. 1232:

τί νιν καλοῦσα δυσφιλὲς δάκος
τύχοιμ' ἄν; ἀμφίσβαιναν, ἢ Σ κ ύ λ λ α ν τ ι ν ὰ
οἰκοῦσαν ἐν πετραῖσι, ναυτίλων βλάβην,

coll. eiusd. Cho. 614, et Iason de Medea ap. Eur. Med. 1342:

(σε) . . . . . λέαιναν, οὐ γυναῖκα, τῆς Τυρσηνίδος
Σ κ ύ λ λ η ς ἔχουσαν ἀγριωτέραν φύσιν

feminaeque responsum ibid. v. 1358:

πρὸς ταῦτα καὶ λέαιναν, εἰ βούλει, κάλει
κ α ὶ Σ κ ύ λ λ α ν ἢ Τυρσηνὸν ᾤκησεν πέδον.

De meretrice quadam dicit Anaxilaus ap. Athen. XIII, 558 C: *τί διαφέρειν Σκύλλης δοκεῖ;* cf. Liban. oratt. I, 18.

Charybdis nomine significabatur in universum vorago pessumdans. Itaque Euripides his exprimit, Amphiaraum terrae hiatu esse haustum: Suppl. 500: *ἥρπασεν χ ά ρ υ β δ ι ς οἰωνόσκοπον.* Cf. Simonid. Cei frgt. 38:

πάντα γὰρ μίαν ἱκνεῖται δασπλῆτα Χάρυβδιν,
αἱ μεγάλαι τ' ἀρεταὶ καὶ ὁ πλοῦτος.

Tum transferebatur vox in homines rapaces, velut ab Aristoph. Equit. 248, ubi vid. quae Kockius adnotavit. —

Gorgonem, quae dicebatur aspectu omnia obstupefacere, proferunt tragici, ut indicent aliquid terribile: Eur. Phoen. 455: *οὐ γὰρ τὸ λαιμότμητον εἰσορᾷς κάρα*
Γ ο ρ γ ό ν ο ς, ἀδελφὸν δ' εἰσορᾷς ἥκοντα σόν,

Alcest. 1118: *καὶ δὴ προτείνω* (sc. *χεῖρα*), *Γοργόν' ὡς καρατομῶν,*

Bacch. 990: *λεαίνας δέ τινος ὅδ' ἢ Γοργόνων Λιβυσσᾶν γένος,*

(etiam tres narrabantur sorores esse, vid Aesch. Prom. 799), Herc. fur. 990: *ἀγριωπὸν ὄμμα Γοργόνος στρέφων,* unde *γοργωπός* ibid. 868, *γοργός* Eur. Hel. 322, Androm. 458, 1123 saepius. Alia autem ratio valet in Aesch. Eum. 48, ubi Furiae appellantur *Γοργόνες*. —

Clytaemnestra cum reverso Agamemnone queritur, vehementer se esse sollicitatam crebris rumoribus nuntiantibus, maritum esse mortuum. Qui si veri fuissent omnes, Agamemno retis instar vulneribus perforatus et ter mortuus esse debuit, alter quasi Geryon — qui tria corpora habere tradebatur. Locus est Aesch. Agam. 870:

τρισώματος τἂν Γηρυὼν ὁ δεύτερος.

§ 4: Proverbia ex fabulis nata.

Ex fabula lepida originem duxit proverbium, ad quod alludit Soph. frgt. 307:

ὅ τι ἂν τι γίγνηται, τὰ πάντ' ὄνου σκιά.

Lectionem vitiosam Dobraeus sic emendavit: *ὅταν γένηται ταῖτα, πάντ' ὄνου σκιά,* paulo aliter Nauckius proponens: *ὅταν τι γίγνηταί γ', ἅπαντ' ὄνου σκιά.* Exstat autem fabula apud schol. Aristoph. Vesp. 191, quocum conferantur Zen. VI, 28; Diog. VII, 1; G. C. III, 87; App. prov. IV, 26; D. V. III, 43; G. C. L. III, 23; Mac. VI, 37 et VII, 8; Apost. XII, 92, XIV, 22 a, XVII, 69; Photius, Suidas s. *ὄνου σκιά* et *ὑπὲρ ὄνου σκιᾶς*. Adulescentem quendam narrant Athenis Megaram vel Delphos profecturum asinum sibi conduxisse ad sarcinas portandas; in itinere cum aestus meridianos iam ferre non posset neque ullus

locus esset qui praeberet umbram, sub umbram asini insedisse. Tum asinarium contradixisse: se asinum collocasse, ut sarcinas tantum portaret, non ut adulescens ipse eo uteretur; illum autem respondisse, se et asinum et asini umbram conduxisse. Qua de causa vehementer altercantes tandem rem ad arbitros tulisse. Unde *περὶ ὄνου σκιᾶς μάχεσθαι* in eos dicere solitum esse vulgus, qui de nihilo certarent; apte comparat Bauckius nostrum „um des Kaisers Bart streiten", respondetque Latinum: „de lana caprina rixari." Sophoclem in versu, quem supra attuli, hanc locutionem respexisse apparet: nam utut priora verba emendanda sunt, *πάντ'* sive *ἅπαντ' ὄνου σκιά* sine dubio recte legitur. Videtur igitur tragicus rem aliquam adumbrare voluisse, quae flocci habenda esset. Usurpant proverbium Aristoph. Vesp. 191 et frgt 238; Demosth. de pace 25; Plat. Phaedr. 260 C; Lucian. Hermotim. 71; Dio Chrysost. orat. 34, p. 59 R.

Omnino autem Graecos adamavisse, rem minimi vel nullius pretii *σκιάν* aut *καπνοῦ σκιάν* aut *καπνόν* vocare, quippe cum umbra aut fumo nihil possit cogitari vilius inaniusve, permulti tragicorum loci docent. Huiusmodi locutiones esse proverbiales, intellegitur ex corp. paroem. In App. prov. III, 44 legimus: *καπνοῦ σκιά· ἐπὶ τῶν λίαν ἰσχνῶν καὶ ἐπὶ τῶν ἀστάτων καὶ ἀφανῶν.* Mac. V, 4 scribit: *καπνοῦ σκιὰν δεδοικέναι· ἐπὶ τῶν τὰ μηδενὸς ἄξια φοβουμένων* idemque VII, 61: *σκιᾶς εἴδωλον· ἐπὶ τοῦ σφόδρα ἀσθενοῦς.* In Mant. prov. II, 84 denique est: *σκιὰ ὀνείρων· ἐπὶ τῶν ἀδήλων.* Addo Suid s. *καπνοῦ σκιά· ἐπὶ τῶν λίαν ἰσχνῶν. καὶ παροιμία· καπνὸν εἶναι ἡγούμην· ἐπὶ τῶν οὐδαμινῶν καὶ οὐδενὸς ἀξίων* (quod ex Aristoph. Nub. 330 ductum videtur) et schol. Aristoph. Nub. 252: *τὰ γὰρ μηδενὸς*

ἄξια καπνοὺς καὶ σκιὰς καὶ νεφέλας ὀνομάζομεν. Haec sunt, quae mihi tragoedias perlustranti occurrerunt:

Aesch. Agam. 1328: εὐτυχοῦντα μὲν
σκιά τις ἂν τρέψειεν,

ibid. v. 839: εὖ γὰρ ἐξεπίσταμαι
ὁμιλίας κάτοπτρον, εἴδωλον σκιᾶς,

Eum. 302: ἀναίματον βόσκημα δαιμόνων σκιάν,

frgt. 390: τὸ γὰρ βρότειον σπέρμ' ἐφ' ἡμέραν φρονεῖ,
καὶ πιστὸν οὐδὲν μᾶλλον ἢ καπνοῦ σκιά,
quod Apost. XVI, 98 recepit.

Soph. Ant. 1170: τἄλλ' ἐγὼ καπνοῦ σκιᾶς
οὐκ ἂν πριαίμην,

Aiac. 126: ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
εἴδωλ' ὅσοιπερ ζῶμεν ἢ κουφὴν σκιάν,

El. 1159: ὅς σ' ὧδέ μοι προὔπεμψεν ἀντὶ φιλτάτης
μορφῆς τε καὶ σκιὰν ἀνωφελῆ,

frgt. 860: ὡς οὐδέν ἐσμεν πλὴν σκιαῖς ἐοικότες,

„ 12: ἄνθρωπός ἐστι πνεῦμα καὶ σκιὰ μόνον,

Phil. 946: κοὐκ οἶδ' ἐναίρων νεκρὸν, ἢ καπνοῦ σκιάν,
εἴδωλον ἄλλως.

Eur. Med. 1224: τὰ θνητὰ δ' οὐ νῦν πρῶτον ἡγοῦμαι σκιάν,

frgt. 512: τί δ' ἄλλο; φωνὴ καὶ σκιὰ γέρων ἀνήρ,

Hipp. 954: βάκχευε πολλῶν γραμμάτων τιμῶν καπνούς,

Androm. 745: σκιᾷ γὰρ ἀντίστοιχος ὢν φωνὴν ἔχεις.

Cf. Pind. Pyth. VIII, 95: σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, cui similia:

Aesch. Prom. 448: ἄνθρωποι . . . . ὀνειράτων ἀλίγκιοι
μορφαῖσι,

coll. v. 548: ἰσόνειρον, et Eur. frgt. 25: γέροντες . . . ὀνείρων δ' ἕρπομεν μιμήματα. Vid. Horat Carm. IV, 7, 16: „pulvis et umbra sumus."

Postremo libet admonere loci comici cuiusdam (Frgt. com. gr. Mein. II, p. 474), ubi mercator aliquis

facete appellatur *Καπνός* aut ut nos diceremus: „Dunst Schwindel." —

Praeclara docet Aeschylus hanc fabulam de aquila proferens in frgt. 135:

ὧδ' ἐστὶ μύθων τῶν Λιβυστικῶν κλέος,
πληγέντ' ἀτράκτῳ τοξικῷ τὸν ἀετὸν
εἰπεῖν ἰδόντα μηχανὴν πτερώματος.
τ ά δ' ο ὐ χ ὑ π' ἄ λ λ ω ν, ἀ λ λ ὰ τ ο ῖ ς α ὑ τ ῶ ν π τ ε ρ ο ῖ ς
ἁ λ ι σ κ ό μ ε σ θ α.

Saucia igitur aquila cognoscit, se suis ipsius pennis ad venatoris sagittam adiunctis perire. Inde in proverbium abiit sententia nobilissima et in eos dicebatur, qui se ipsos suis armis perdiderunt aut, ut est in Mant. prov. III, 7, *ἐπὶ τῶν τοῖς οἰκείοις ἐλεγχομένων λόγοις.* Etiam Mac. VIII, 57 exhibuit versum. Permulti auctores hoc proverbium respiciunt: Aristoph. Av. 808; Aristid. c. Dem. § 41, p. 18; Aesop. fab. 218; Sosib. ap. Athen. XI, 494 B, quem ad locum Casaubonus alios collegit. Ex Latinis adicio P. Syrii sent. 87: „bis interimitur, qui suis armis perit." Ad sententiam congruunt: *ἐν τοῖς ἐμαυτοῦ δικτύοις ἁλώσομαι,* de quo p. disseram, et *κρατῆρα πλήσας ἐκπίνει,* de quo p. plura videas.

Annecto hic affine proverbium *α ἱ ρ ο ῦ ν τ ε ς ᾑ ρ ή μ ε θ α* explicatum ab Zen. I, 35; Diog. I, 33; G. C. L. I, 43; Apost. I, 69: *ἐπὶ τῶν ἐλπισάντων κρατεῖν τινων* (sive *τινὰς νικᾶν*) *καὶ* (*εἶθ'*) *ὑπ' ἐκείνων ἁλόντων.* Alludunt Aesch. Agam. 338:

εἰ δ' εὖ σέβουσι τοὺς πολισσούχους θεοὺς . . . . .
ο ὐ τ ἂ ν ἑ λ ό ν τ ε ς α ὖ θ ι ς ἀ ν θ α λ ο ῖ ε ν ἄ ν,

quibus verbis Clytaemnestra respicit Graecos Troia potitos, et Soph Oed. Col. 1025:

γ ν ῶ θ ι δ' ὡ ς ἔ χ ω ν ἔ χ ε ι
κ α ί σ' ε ἷ λ ε θ η ρ ῶ ν θ' ἡ τ ύ χ η.

De origine proverbii ἁλιεὺς πληγεὶς νοῦν οἴσει Zen. II, 14 hanc narrat fabulam: ἁλιεὺς γάρ, ὥς φασι, τοὺς ἁλισκομένους ἐν τῷ λίνῳ ἰχθῦς μετεχειρίζετο, καὶ πληγεὶς ὑπὸ σκορπίου, ἔφη· „πληγεὶς νοῦν οἴσω", καὶ ταῖς χερσὶν οὐκέτι τῶν νεοθηρευτῶν ἰχθύων ἥπτετο. Sophoclem id usurpasse idem testatur addens: μέμνηται αὐτῆς Σοφοκλῆς, et schol. Plat. 378 haec affert tragici verba: (frgt. 112)

ἔτ' αὖ . . . . ὥσπερ ἁλιεὺς πληγεὶς . . . .
ενων διδάσκαλος,

quae nondum sanata sunt, praeterquam quod Ahrensius probabiliter coniecit in . . . ενων inesse φρενῶν. Videtur autem poeta genuinam adagii formam paulo mutasse. De eius vi haec perhibent paroemiographi: Diog. II, 31: ἐπὶ τῶν μετὰ τὸ ἁμαρτῆσαί τινος πράγματος συνιέντων, D. V. I, 61: ἡ παροιμία ἐπὶ τοῖς σφαλεῖσι καὶ τότε διορθουμένοις, Apost. II, 22: ἐπὶ τῶν μετὰ πεῖραν εἰς γνῶσιν ἐλθόντων. Cf. G. C. I, 54; G. C. L. I, 20. Elucet igitur satis superque, proverbium idem valere quod nostrum „durch Schaden wird man klug" Quod monitum nobilissimum crebro celebrant cum alii auctores tum tragici variis formis eandem exprimentes sententiam. Atque animadvertentes, versum Homericum (P. 32): ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω et Hesiodeum (Opp. 218): παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω paroemiographis testibus in proverbia abiisse, non dubitabimus, cognata dicta tragicorum proverbiis vindicare, praesertim cum complura inter se dictione consentiant. Haec sunt, quae huc pertinent:

Aesch. Agam. 177: Ζῆνα . . . τὸν φρονεῖν βροτοὺς ὁδώσαντα, τὸν πάθει μάθος θέντα κυρίως ἔχειν,

ibid. 250: Δίκα δὲ τοῖς μὲν παθοῦσιν μαθεῖν ἐπιρρέπει τὸ μέλλον,

Eum. 276: ἐγὼ διδαχθεὶς ἐν κακοῖς ἐπίσταμαι.
Prom. 391: ἡ σή, Προμηθεῦ, συμφορὰ διδάσκαλος,
„ 926: πταίσας δὲ τῷδε πρὸς κακῷ μαθήσεται.
Soph. Ant. 926: παθόντες ἂν ξυγγνοῖμεν ἡμαρτηκότες,

quem versum Wunderus vertit: „malo consciam mihi peccatum;"

Soph. Ant. 1270 paulo obscurius latet:

οἴμοι· ἔχω μαθὼν δείλαιος,

Oed. Reg. 403: παθὼν ἔγνως ἂν οἷάπερ φρονεῖς,
Oed. Col. 7: στέργειν γὰρ αἱ πάθαι με χὼ χρόνος ξυνὼν / μακρὸς διδάσκει,
Trach. 142: μήτ' ἐκμάθοις παθοῦσα, coll. Ant. 1350 sqq., Trach. 710.
Eur. Hippol. 892: γνώσει γὰρ αὖθις ἀμπλακών,
„ „ 730: τῆς νόσου δὲ τῆσδέ μοι κοινῇ μετασχὼν σωφρονεῖν μαθήσεται,
Med. 35: ἔγνωκε δ' ἡ τάλαινα συμφορᾶς ὕπο,
„ 1203: τύχην γὰρ εἴχομεν διδάσκαλον,
frgt 455: αἱ τύχαι δέ με . . . . σοφὴν ἔθηκαν,
Suppl. 580: γνώσει σὺ πάσχων i. e. cognosces πάσχων, quid valeat manus Thebanorum ex dracontis dentibus ortorum. Restat, ut adscribam nonnulla aliorum: Pind. Isthm. I, 40: ὁ πονήσαις δὲ νόῳ καὶ προμάθειαν φέρει. Alcman. frgt. 63: πεῖρά τοι μαθήσιος ἀρχά. Herod. I, 207: τὰ δέ μοι παθήματα ἐόντα ἀχάριτα μαθήματα ἐγεγόνεε, coll. VII, 11. Plat Sympos. 222: καὶ μή, κατὰ τὴν παροιμίαν, ὥσπερ νήπιον παθόντα γνῶναι. —

Teste schol. Plat. 393 proverbium αὐτὸ δείξει in usu erat ἐπὶ τῶν ἀπιστούντων τι μὴ γενέσθαι. Paulo distat interpretatio, quam praebet idem schol. p. 366: ἐπὶ τῶν ἐκ τῆς πείρας γινωσκομένων, ex hac fabula derivans adagium: κατιόντων γάρ τινων εἰς ποτα-

μὸν πρὸς τὸ διαπερᾶσαι, ἤρετό τις τὸν προηγούμενον εἰ βάθος ἔχει τὸ ὕδωρ· ὁ δὲ ἔφη· „αὐτὸ δείξει.“ Sensus igitur est: res ipsa sive eventus indicabit. Sophocles eius mentionem facit in frgt. 355:

ταχὺ δ' αὐτὸ δείξει τοὔργον, ὡς ἐγὼ σαφῶς,

quod correxit Meinekius initio proponens ταχ' αὐτό et ὡς δοκῶ, σαφῶς pro ὡς ἐγὼ σαφῶς. Cf. eiusd. Phil. 1291: τοὔργον πάρεσται φανερόν. Saepius Euripides respexit locutionem illam proverbialem: Bacch. 976: τἄλλα δ' αὐτὸ σημανεῖ, Phoen. 623: αὐτὸ σημανεῖ et quod vulgo omittebatur (— vid Suid. s. αὐτὸ δείξει παροιμία· ἐλλείπει τὸ ἔργον —) addens Androm. 265: τὸ δ' ἔργον αὐτὸ σημανεῖ τάχα, Orest. 1129: εἶτ' αὐτὸ δηλοῖ τοὔργον οἷ τείνειν χρεών.

Haud ita multum discrepant eiusd. Hel. 151: πλοῦς, ὦ ξέν', αὐτὸς σημανεῖ et Hipp. 1077: τὸ δ' ἔργον οὐ λέγον σε μηνύει κακόν.

Pervulgatum erat proverbium: occurrit apud Plat. Hipp. mai. 288 B, Theaet. 200 E, Protag. 329 B (ὡς αὐτὰ δηλοῖ); Aristoph. Lys. 375; Cratin. frgt. 9 Mein.; Plut. Pomp. 23. E Latinis Schottus advocavit Plaut. Trin. 107: „id ita esse, ut credas, rem tibi auctorem dabo.“ Terent. Eunuch. 705: „quid isti credam? res ipsa indicat.“ Finitima collegerunt Erasm. p. 664 et Leutschius in adnot. ad G. C. L II, 92. —

Aesch. Cho. 631:

κακῶν δὲ πρεσβεύεται τὸ Λήμνιον
λόγῳ· γοᾶται δὲ δήποθεν*) κατάπτυστον·
ἤκασεν δέ τις | τὸ δεινὸν ἂν Λημνίοισι πήμασι

commemorat facinus, quod propter crudelitatem et immanitatem in proverbium cesserat. Historia, unde natum

*) δήποθεν ex coniectura Schutz. Blomf. Wellaueri.

est, varie narratur; alii tradunt (Herod. VI, 138; schol. Eur. Troad. 887), Pelasgos multas mulieres Athenienses raptas in Lemnum duxisse, tum ipsas filiosque ex illis natos interfecisse, veritos, ne aliquando adulti Atheniensium iniuriam ulciscerentur; paucas vero superstites mulieres deinde omnes totius insulae viros occidisse, ut ipsae quidem a caede tutae essent. Alii (scholl. Pind. Pyth. IV, 448; schol. Appollon. I, 773) hinc proverbii originem ducunt, quod Lemniae, quia Venerem neglexerant a dea odore malo punitae, ut maritos ab consuetudine sua deterrerent, omnes viros interfecerunt. Quoniam utraque fabula ad eundem finem spectat, nihil refert, anxie persequi, ex utra proverbium manaverit. Constat, id esse adhibitum ad significandum ingens miserandumque malum. Cf. Hesych.: *Λήμνια· φοβερά, μοχθηρά.* Zen. IV, 91; Diog. VI, 2; G. C. M. IV, 13; Mac. V, 60; Apost. X, 65 habent *Λήμνιον κακόν* sive *Λήμνια κακά*, partim addita verbosa explanatione. Pervulgatum fuisse proverbium docet Herod. VI, 138: *νενόμισται ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα τὰ σχέτλια ἔργα πάντα Λήμνια καλέεσθαι.* Meminit facinoris feminarum Lemniarum Eur. Hec. 886:

τί δ'; οὐ γυναῖκες εἷλον Αἰγύπτου τέκνα
καὶ Λῆμνον ἄρδην ἀρσένων ἐξῴκισαν;

Addo Pind. Pyth. IV, 448; Plut. Amat. 11, p. 755 C. Contra Soph. Phil. 800:

τῷ Λημνίῳ τῷδ' ἀνακαλουμένῳ πυρὶ / ἔμπρησον

ad proverbium illud alludere mihi non videtur. Quod in Lemno insula finxerunt esse Vulcani officinam (v. ibid. 986) et Mosychlus mons flammas vomuit, videtur ignis vehementissimus ore vulgi vocatus esse „Lemnius“. Praeterea Philoctetem, qui verba illa eloquatur, ipsum in Lemno versari, notandum est. Ceterum vid. Bauck. p. 45,

Exsecrationis formula erat *Βοιωτοῖς μαντεύσαιο* testibus Zen. II, 84 et Plut. prov. I, 9, qui narrant, Thebanos quondam sacerdotem Dodonensem, quae oraculum consulentibus respondisset victoriam fore, si impie facerent, in vas fervens iniecisse. Ad idem facinus Boeotorum alludit Eur. frgt. 369: *μίασμα δρυός*, ut memoriae tradidit Prov. app III, 97: *μ. δ.' παρ' Εὐριπίδῃ ἐν Ἐρεχθεῖ αἰνιττόμενον τὸ Θηβαίων παρανόμημα εἰς τὸ ἐν Δωδώνῃ μαντεῖον·* sequitur fabula, quam modo excerpsi. Quid vero spectarit poeta, prorsus intellegetur si quis tenebit memoria, quercum Dodonensem Iovi fuisse sacram. —

De fonte proverbii *πᾶσα γῆ πάτρις* Zen. V, 74 haec profert: *τοῦτο μέρος ἐστὶ χρησμοῦ, ὃν ἀνεῖλεν ὁ θεὸς Μελεῷ τῷ Πελασγῷ περὶ οἰκήσεως μαντευομένῳ. μέμνηται τοῦ χρησμοῦ καὶ Μνασέας καὶ Διόνυσος ὁ Χαλκιδεὺς* (de quibus auctoribus vid. Schneidewini adnotat.). Proverbium erat celebratum tritumque formis variatis. Apud Euripidem occurrunt frgt. 774:
ὡς πανταχοῦ γε πατρὶς ἡ βόσκουσα γῆ
et frgt. 1034, quod recepit Apost. III, 59 b:

ἅπας μὲν ἀὴρ ἀετῷ περάσιμος,
ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.

Ab Stob. Flor. XL, 7 addicitur Democrito (Rell. p. 200 Mullach.) sententia: *ἀνδρὶ σοφῷ πᾶσα γῆ βατή*, cui addit Apost. II, 84 c: *ψυχῆς γὰρ ἀγαθῆς πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος*. Aristoph. Plut. 1151: *πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ' ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ* ibique schol.: *παρὰ τὴν παροιμίαν· ὅπου γὰρ ἀγαθόν ἐστι, ἐκεῖ μοι πατρίς*, unde derivavit Mac. VI, 45 suum: *ὅπου γὰρ εὖ πράσσει τις, ἐνταυθοῖ πατρίς* Lysias c. Philon. oratt. XXXI, p. 6: *καὶ γὰρ οἱ φύσει μὲν πολῖταί εἰσι, γνώμῃ δὲ χρῶνται ὡς πᾶσα γῆ πατρὶς αὐτοῖς ἐστιν, ἐν ᾗ ἂν τὰ ἐπιτήδεια*

ἔχωσιν οὗτοι . . . . Men. mon. 716: τῷ γὰρ καλῶς πράσσοντι πᾶσα γῆ πατρίς. Diog. VII, 28 et Mac. VII, 1 praebent πᾶσα γῆ πατρίς omissa interpretatione. —

In Eur. Hippol. 671 scriptam legimus locutionem κ ά θ α μ μ α λ ύ ε ι ν, quam fuisse proverbialem testantur schol. ad h. l.; Zen. IV, 46; Mant. prov. I, 75; Suid. s. v. Ducuntque eius originem ex notissima illa fabula, quam Arrian. II, 3; Aelian. n. anim. XIII, 1; Plut. Alex. 18 alii memoriae prodiderunt. Phrygibus datum esse oraculum, eum Asiae imperio potiturum esse, qui nodum solvisset implicitum currui ab Mida — aut ut alii volunt ab patre eius Gordio, unde hodie loquimur de nodo „Gordico" — in templo reposito; Alexandrum Magnum explicuisse nodum aut clavo exempto, qui iugum cum temone coniungeret, aut gladio dissecantem vinculum. Iidem addunt dictum esse proverbium ἐπὶ τῶν δύσλυτόν τι λύειν ἐπιχειρούντων. Quoniam autem Alexander multo post tragicum fuit, hanc fabulam non pertinere ad locum Euripideum manifestum est. Sed dixerit fortasse quispiam, priorem fabulae partem de Phrygum oraculo iam aetate Euripidis exstitisse posse: mihi vero persuasum est, t o t a m fabulam esse inventam ad Alexandrum Magnum celebrandum. Quaeritur igitur, num Euripidis temporibus omnino jam vim proverbialem habuerit phrasis κάθαμμα λύειν. Potuit sane poeta dudum ante locutionem adhibere quam proverbii vim ea adepta esset. Nihilo secius mihi quidem videtur jam tum proverbiale fuisse illud κάθαμμα λύειν: quamquam, unde fluxerit, hodie vix aliquis certo statuere poterit; diffido iis, qui ex arte lanifica petitam esse locutionem putant. Nam imago nodi nectendi solvendique, qua exprimatur notio difficultatum allatarum expeditarumque, satis et Graecis et Latinis et nostratibus est familiaris, ut dicta

locutionesque inde prompta adagiorum locos obtinuisse putem. Quae imago subest his locis Sophocleis:

Aiac. 1316: ἄναξ Ὀδυσσεῦ καιρὸν ἴσθ' ἐληλυθώς,
εἰ μὴ ξυνάψων, ἀλλὰ συλλύσων πάρει,

i. e. „rixam non accensurus sed sedaturus",

Ant. 39: τί δ', ὦ ταλαῖφρον, εἰ τάδ' ἐν τούτοις, ἐγὼ
λύουσ' ἂν ἢ 'φάπτουσα προσθείμην πλέον;

Haec Ismena respondet Antigonae, quae exposuit condicionem suam quaeque Creon urbi de Polynice sepeliendo edixerit; vult igitur haec exprimere: quaenam ipsa possit proficere in hoc rerum statu, nodum iam nexum firmius astringens aut expediens i. e. quid conficiat ad malum augendum aut minuendum? Plura de hoc loco varie explanato vid. ap. Böckhium. Addo eiusd. fab. 1112:

αὐτός τ' ἔδησα καὶ παρὼν ἐκλύσομαι,

Creontis verba affirmantis, se iam velle corrigere quae antea in Polynicem et Antigonam peccaverit. Quocum cf. Phil. 1224: λύσω ὅσ' ἐξήμαρτον. —

Num ex eis, quae Zen. IV, 80 de proverbio Κέλμις ἐν σιδήρῳ scribit: αὕτη τάττεται ἐπὶ τῶν σφόδρα ἑαυτοῖς πιστευσάντων, ὅτι ἰσχυροὶ καὶ δυσχείρωτοι πεφύκασι. Κέλμις γὰρ εἷς τῶν Ἰδαίων Δακτύλων τὴν μητέρα Ῥέαν ὑβρίσας καὶ μὴ ὑποδεξάμενος *** ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν εὐμενῶς ἐν τῇ Ἴδῃ, ἀφ' οὗ ὁ στερεώτατος ἐγένετο σίδηρος. μέμνηται τῆς ἱστορίας Σοφοκλῆς ἐν Σατύροις (adde ἐν „Κωφοῖς" Σατύροις) colligendum sit, poetam etiam mentionem fecisse adagii, mihi dubium incertumque est. Ceterum verba ὑποδεξάμενος—σίδηρος corrupta esse aut lacunosa elucet. Plura de fabula illa et de proverbio praebent Nauckius in adnot. ad Soph. frgt. 336, Plut. prov. I, 11; schol. Apoll. Rhod. I, 1129; Lobeck. Aglaophom. II, p. 1156, 1160. —

Restat ut adnotem, proverbia *πάντα κινῆσαι πέτρον* et *Θεσσαλὸν σόφισμα* ab veteribus quidem interpretibus derivari ex fabulis fictis, meo autem iudicio alia ratione esse explananda. Disseram de illo p. de hoc p. disserui.

§ 5. Proverbia ex occupationibus vitae cotidianae institutisque socialibus orta.

Antiquitus erat praeceptum, ut suam sibi quisque provinciam constitueret neve fines terminosque, qui facultatibus artibusque suis essent praescripti, egrederetur. Huc facit Eur. frgt. 722:

Σπάρτην ἔλαχες, κείνην κόσμει·
τὰς δὲ Μυκήνας ἡμεῖς ἰδίᾳ,

quod idem valet atque proverbium nobilissimum Latinorum in linguam nostram profectum: „ne sutor ultra crepidam." Exstat totum frgt. Eurip. in Mant. prov. II, 86; priorem versum habent Diog. VIII, 16; Mac. VII, 78 qui male explicat: *ἐπὶ τῶν τὰ χείρονα λαγχανόντων.* Genuina verba liberius mutaverunt: Diog. VIII, 46: *ἣν ἔλαχες Σπάρταν κόσμει,* comparationis causa apponens *κατὰ σαυτὸν ἕλα* et G. C. II, 76: *κόσμει Σπάρτην ἣν ἔλαχες* (= G. C. M. III, 82), qui hanc addit interpretationem: *ὅτι δεῖ στέργειν τῇ δεδομένῃ τύχῃ καὶ ἀνέχεσθαι.* Inepte Apost. IX, 86 et schol. Eurip. Orest. 537 nomen urbis cum vocibus *σπάρτος, σπάρτον, σπάρτη, σπαρτίον* confundunt: quod quam stultum sit, elucet ex ipsis poetae verbis voci *Σπάρτην* opponentis *Μυκήνας.* Pervagatum esse proverbium apud auctores utriusque linguae, ostendit Nauckii glossa ad h. l. Finitima affert Bauck. p. 15. Cf. Eur. frgt. 526, quod Apost. VI, 67 b excerpsit. Adicio Soph. Aiac. 1102 sqq., ubi

Teucer cum Menelao acriter altercatus de Aiace sepeliendo hoc officium sibi vindicat et illum his invehitur:

ποῦ σὺ στρατηγεῖς τοῦδε; ποῦ δὲ σοὶ λεῶν
ἔξεστ' ἀνάσσειν ὧν ὅδ' ἤγαγ' οἴκοθεν;
Σπάρτης ἀνάσσων ἦλθες, οὐχ ἡμῶν κρατῶν.
οὐδ' ἔσθ' ὅπου σοι τόνδε κοσμῆσαι πλέον
ἀρχῆς ἔκειτο θεσμὸς ἢ καὶ τῷδε σέ κτλ.

Quae verborum similitudo utrum fortuita sit an Euripides versus illos (frgt. 722) scribens ante oculos habuerit locum Sophocleum, quis est qui diiudicare audeat?

Idem valet Soph. Aiac. 1039: *κεῖνός τ' ἐκεῖνα στεργέτω,* ubi schol. adnotat: *γέγονε δὲ τοῦτο καὶ παροιμιακόν.* Sunt Teucri affirmantis sibi quidem persuasum esse, *ἀνθρώποισι μηχανᾶν θεούς*: habeat autem sibi sententiam suam si quis contraria censeat. Locutio non invenitur in corpore paroemiographorum. —

Iam vero perlustremus proverbia ex cotidianis hominum occupationibus artibusque nec non ex instrumentis in iis adhibitis petita.

Quoniam Graeciae situs incolis munus navigandi quasi ultro describebat, consentaneum est, magnum proverbiorum numerum et locutionum metaphorarumque proverbialium ex mari et re navali petitorum cum apud alios auctores occurrere tum tragicis in deliciis fuisse.*)

Voces *πέλαγος, θάλασσα, κῦμα, κλύδων, κλυδώνιον, ῥεῦμα, βάθος* saepe usurpantur ad significandam magnitudinem vel multitudinem rerum cum secundarum tum maxime adversarum. Quamquam paroemiographi unam locutionem *ἀγαθῶν θάλασσα* (Zen. I, 9; Diog. I, 10; D. V. I, 8; Mac. I, 8; Apost. I, 5; idem

*) cf. praeter alios: El. Schwartz: de metaphoris e mari et re navali petitis quaestiones Euripideae. Diss. Kil. 1878.

XIV, 58 addit πόντος ἀγαθῶν) afferunt, tamen nihil moror ceteras quoque metaphoras usu tritissimas proverbiales aestimare. Haec excerpsi exempla: πέλαγος κακῶν: Aesch. Pers. 433; Eur. Herc. fur. 1087, Suppl. 824, Hippol. 822. δυσχείμερον π. ἀτηρᾶς δύης: Aesch. Prom. 746, ἄτης ἄβυσσον π. οὐ μάλ' εὔπορον: Aesch. Suppl. 470; μέγ' ἄρα πέλαγος (sc. ἀπόρων vel μόγων): Soph. Oed. Col. 1746.

θάλασσα: κακῶν δ' ὥσπερ θ. κῦμ' ἄγει: Aesch. Sept. 758 (de Polynice exercitum contra Thebas ducente), ἄμαχον κῦμα θαλάσσης: Aesch. Pers. 90 (de Persarum ingenti exercitu). κῦμα de hostium copiis: Aesch. Pers. 90, Sept. 64, 114, 1077. κ. κακῶν: Eur. Jon. 927, coll. Aesch. Sept. 758, πρὸς κύμασιν ἄτης: Aesch. Prom. 886, κελαινοῦ κύματος πικρὸν μένος: Aesch. Eum. 832, κ. συμφορᾶς: Eur. Hipp. 824, κ. φοινίας ὑπὸ ζάλης ἀμφίδρομον κυκλεῖται: Soph. Aiac. 351. Cf. κυμάτων ἄτερ πόλιν σὴν ναυστολήσεις: Eur. Suppl. 473, ὑπερθεῖν κύματος ἄκραν: Eur. frgt. 232, coll. Aesch. Eum. 562. Ad Eur. Orest. 270:

ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ

schol. adscripsit: ἔστι δὲ παροιμία ἐπὶ τῶν διαφυγόντων τὰ λυπηρά. Versus mentionem facit Aristoph. Ran. 306, mutans tamen γαλήν' in γαλῆν, ut irrideret Hegelochum, qui quondam partes Orestis Euripidei agens significationem elisionis in pronuntiando omiserat, quod largam ridendi materiam comicis praebuit. Adiungo: δυσκύμαντα δ' ὠρώρει κακά: Aesch. Agam. 653, κυμαίνοντ' ἔπη: Aesch. Sept. 443, μοχθήσας τὸν ἄκυμον θῆκεν βίοτον: Eur. Herc. fur. 698, εἰ γὰρ μετακύμιος ἄτας, ὦ Παιάν, φανείης: Eur. Alc. 91, quod bene vertit Schneiderus: „is qui malorum fluctus avertit."

Τρικυμία κακῶν: Aesch. Prom. 1015, cum

tertius quisque fluctus maximus esse vulgo crederetur (vid. Eur. Troad. 83, Hippol. 1213).

κλύδων κακῶν: Aesch. Pers. 599; Eur. Med. 362, κλ. συμφορᾶς: Soph. Oed. Reg. 1526, κλ. οὐκ θεῶν νικᾷ με: Eur. Troad. 696, κλ. πολέμιος: Eur. Jon. 60., πολεμίων: Iph. Taur. 316, κλ. δορός: Eur. Suppl. 474, Phoen. 859, κλ. ἔριδος: Eur. Hec. 116, κλ. ἔφιππος: Soph. El. 733. ἐν κλύδωνι καὶ φρενῶν ταράγματι: Eur. Herc. fur. 1091.

κλυδώνιον: κἀμοὶ προσέστη καρδίας κλ. χολῆς: Aesch. Cho. 183, κέαρ πάλλεται κλυδωνίῳ: Aesch. Suppl. 785, πόλις ἐν εὐδίᾳ τε καὶ κλυδωνίου πολλαῖσι πληγαῖς: Aesch. Sept. 795.

πλημμυρίς: Aesch. Cho. 186, Eur. Alc. 184.

δίνη: Aesch. Prom. 1052, Agam. 997.

Longum est ingentem numerum locutionum vel metaphorarum vocibus ῥεῦμα, ῥέω, ἐπιρροή, ῥόθος, ῥόθιος, ἐπιρροθεῖν aliisque formatarum apponere: duobus tantum defungar exemplis:

κακῶν δὲ πλῆθος ποταμὸς ὣς ἐπέρχεται: Aesch. Suppl. 469, κακῶν τοσούτων οὐχ ὁρᾷς ἐπιρροάς; Eur. Androm. 349.

Praeterea duae metaphorae tam pervulgatae sunt apud tragicos, ut proverbiales eas fuisse credam secutus Erasmum (p. 39). Quarum altera est ἀντλεῖν, quae sonat propria vi sentinam ex navi exhaurire, tralate autem aliquid molesti exanclare. Huc faciunt: ἀντλεῖν τὴν παροῦσαν τύχην: Aesch. Prom. 375, κακά: Aesch. Cho. 748, πατρῴαν κτῆσιν: Soph. El. 1291; λυπρὸν βίον: Eur. Hippol. 898, αἱματηρὸς πέλανος ἠντλεῖτο: Rhes. 431. Idem sensus inest in verbis compositis: ἀπαντλεῖν: Aesch. Prom. 84; Eur. Alc. 354, Orest. 1641; διαντλεῖν: Eur. Androm. 1217, Herc. fur.

1373; ἐξαντλεῖν: Eur. Suppl. 838, Cycl. 10, 110, 282, Med. 79, frgt. 456; ἐπαντλεῖν: Eur. frgt. 891; συναντλεῖν: Eur. Ion. 200; ὑπεξαντλεῖν: Eur. Ion. 927; cf. ὑπέραντλος συμφορᾷ: Eur. Hipp. 767. Nec indigni videntur, quos adiciam, hi loci: Eur. Heracl. 168: εἰς ἄντλον ἐμβήσει πόδα, Hec. 1025: ἀλίμενόν τις ὡς εἰς ἄντλον πεσών, Aesch. Sept. 796: πόλις ἄντλον οὐκ ἐδέξατο i. e. urbs detrimentum non cepit. Subest igitur illa apud Graecos usitatissima nobisque perfamiliaris comparatio urbis cum navi, quae ingentem copiam metaphorarum procreavit, de quibus abunde Coenen l. c. (p. 55—102). Exempla Euripidea sunt sumpta ex opinione et antiquitate et aetate nostra late propagata, qua totius vitae cursus quasi una navigatio fingitur. Cuius imaginis est continuatio, cum Graeci vocem λιμήν adhibeant ad significandum perfugium et receptaculum, quin etiam hominem praesidium praebentem. Compono haec:

λιμὴν κακῶν: Aesch. Suppl. 471, λ. πλούτου: Aesch. Pers. 250, Eur. Orest. 1077, λ. παντὸς οἰωνοῦ: Soph. Ant. 1000, λ. Ἅιδου: Soph. Ant. 1284, λ. Ἀχερόντιος: Eur. Herc. fur. 770, λ. ἑταιρείας: Soph. Aiac. 682, λ. βοῆς: Soph. Oed. Reg. 420, coll. v. 1208, ubi λ. dicitur de Iocastae utero; ἀνὴρ λ. πέφανται: Eur. Med. 768, ὦ ναυτίλοισι χείματος λ. φανεὶς, Ἀγαμέμνονος παῖς: Eur. Androm. 891, ibidem 748: χείματος γὰρ ἀγρίου / τυχοῦσα λιμένας ἦλθες εἰς εὐηνέμους.

Ad firmamentum, cui res hominum, fortunae, spes innituntur, significandum transferunt Graeci vocem ἄγκυρα, cuius vim indicant Suidas s. v.: χαλάσω τὴν ἱερὰν ἄγκυραν· ἄγκυρα μεταφορικῶς ἀπὸ τῶν νηῶν ἡ ἀσφάλεια et Hesych. I, p. 52: ἄγκυραι· μεταφορικῶς αἱ ἀσφάλειαι. Proverbialiter vocem usurpari conicio ex

Diog. V, 29 (codd. Vatic. et Barocc.): ἱερὰ ἄγκυρα· ἐπὶ τῶν μελλόντων τελευταῖον εἰπεῖν ἐπιχείρημα τῶν πάντων μέγιστον, ἀπὸ τῆς ἐν τῇ νηΐ ἀγκύρας ἱερᾶς καλουμένης, ἤτοι μεγίστης, ἣ τελευταία πάντων βάλλεται εἰς θάλασσαν, χειμῶνος αὐτὴν σφόδρου κατειληφότος et ex G. C. II, 69, qui idem proverbium breviter explicat: ἡ μεγάλη βοήθεια: nam quae paroemiographi de ἱερὰ ἄγκυρα tradunt, etiam ad simplicem vocem ἄγκυρα referenda censeo. Accedit, quod tragici identidem ancoram de certo praesidio ponunt:

Soph. frgt 619: ἀλλ' εἰσὶν μητρὶ παῖδες ἄγκυραι βίου,

Eur. Hec. 79: σώσατε παῖδ' ἐμόν, ὃς μόνος οἴκων
ἄγκυρ' ἀμῶν,

Hel. 277: ἄγκυρα δ' ἥ μου τὰς τύχας ὤχει μόνη, ...
οὗτος τέθνηκεν,

frgt. 858: ἀλλ' ἥδε μ' ἐξέσωσεν, ἥδε μοι τροφός,
μήτηρ, ἀδελφή, δμωΐς, ἄγκυρα, στέγη. —

Alia ab navigando profecta locutio est: κάλων ἐξιέναι, quam Eur. Troad. 94 vi propria usurpavit. κάλως autem i. e. rudentes velis immittebant, quae vento panderentur. Inde tralate dicebant πάντα κάλων ἐξιέναι pro „omnes vires intendere." Velut Medea queritur in Eur. Med. 276:

αἰαῖ πανώλης ἡ τάλαιν' ἀπόλλυμαι.
ἐχθροὶ γὰρ ἐξιᾶσι πάντα δὴ κάλων,
κοὐκ ἔστιν ἄτης εὐπρόσοιστος ἔκβασις,

ubi recte scholl.: οἱ ἐχθροὶ οὐριοδρομοῦσι καθ' ἡμῶν καὶ ὥρμηνται πάντα τρόπον ἐφ' ἡμᾶς. Iterum hanc locutionem adhibet poeta, sed ita ut ad contextum sermonis aptum adiectivum apponat, qua re audacissima evadat imago, Herc. fur. 837:

παιδοκτόνους / φρενῶν ταραγμοὺς καὶ ποδῶν σκιρτήματα ἔλαυνε, κίνει, φόνιον ἔξιει κάλων.

Verba sunt Iridis Lyssam incitantis, ut Herculi furorem iniciat. „Sanguineum moveat rudentem“ est autem „omni modo Lyssa agat, ut caedes in Herculis aedibus fiat.“ Varias formas proverbii nostri commemorant schol. Plat. p. 466: πάντα κάλων ἐφέντες, ἐπιτείναντες ἢ κινήσαντες ἢ σείσαντες, παροιμία ἐπὶ τῶν πάσῃ προθυμίᾳ χρωμένων et paroemiographi: π. κ. σεῖε Zen. V, 62; π. κ. ἐφέντες ἢ σείσαντες: G. C. L. III, 4; π. κ. κινεῖς G. C. M. II, 27. Etiamsi non unicuique harum formarum eadem esset addita interpretatio, tamen nemo non intellegeret, omnes idem significare. Iidemque consentiunt proverbii originem ducentes sic: παρῆκται δὲ ἀπὸ τῶν τὰ σχοινία ἢ τὰ ἄρμενα χαλώντων ναυτῶν. Occurrit adagium ap. Aristoph. Equit. 756; Plat. Protag. 338 A, Sisyph. 389 C; Lucian. Scyth. 11.

De cognata locutione πάντα λίθον κινεῖν aliisque idem significantibus vid. p.

Similitudinis gratia scholl. (codd. praeter R et V) ad Arist. Ran. 536: μετακυλινδεῖν αὑτὸν ἀεὶ
πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον

adscribunt Eur. frgt. 90:

οὐ γάρ ποτ' εἴων Σθένελον εἰς τὸν εὐτυχῆ
χωροῦντα τοῖχον τῆς δίκης ἀποστερεῖν

perhibentque proverbium πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον ῥέπειν de iis dici, qui utilitati suae cupide serviant, tralatumque esse a naütis, qui altero navis pariete deprimi coepto in alterum transcurrerent. Cf. Suid. s. ταῦτα πρὸς ἀνδρός ἐστι. Aliunde nihil de hoc proverbio traditur. Cum Porsono sto censente in Eur. Orest. 895:

ἐπὶ τὸν εὐτυχῆ | πηδῶσ' ἀεὶ κήρυκες

allusionem ad illud inesse, poetamque, voce τοῖχον omissa, εὐτυχῆ posuisse pro „felicem hominem“: quod

minus mirum videbitur, si meminerimus Euripidem libenter mutare proverbiorum formam genuinam. —

Adiungo versum Eur. Cycl. 362:

μόνος μόνῳ κόμιζε πορθμίδος σκάφος.

Chorus Satyrorum enim Cyclopem Ulixis socios necaturum, quibus vescatur, admonet, ne quid distribuat de cibo isto nefando; carnem humanam sibi soli habeat. Quod imagine a navigando petita sic exprimit: „solus tibi soli age celocem." Mirum quantum huc facit Plaut. Pseud. 1305: „set dic tamen, / unde onustam celocem agere te praedicem" i. e. imagine dempta: „dic, ubi vino te compleveris." Inde ita interpretari licet versum Euripideum: „solus ventrem tuum solum referci carne humana." Neque iniuria Musgravius hic proverbii tenorem reperire mihi videtur, cuius sensum hunc esse asserit: „tibi soli prospice vel consule." Quamquam desunt veterum testimonia, quibus nitatur opinio illa. —

In homines adductos in summas angustias quadrat Aesch. frgt. 246:

ἔνθ' οὔτε μίμνειν ἄνεμος οὔτε πλεῖν ἐᾷ,

quod receperunt Diog. IV, 88; G. C. II, 47; G. C. L. II, 13; G. C. M. III, 20; Apost. VII, 22 explicantes: ἐπὶ τῶν δυσχρήστοις περιπεσόντων. Utuntur hoc versu Plutarch. de tranqu. an. c. 18, p. 476 B; Aristaen. I, 27, p. 121. Notandum, Diog. et Suidam s. v. praebere variam lectionem: οὔπ' ἐκπλεῖν pro οὔτε πλεῖν. —

Denique proverbiis a navigando petitis adicio locutionem non a navigatione sola sed ab universa vectura sumptam, quam reperimus in Eur. Orest. 68:

ἐπ' ἀσθενοῦς / ῥώμης ὀχούμεθ',

(ubi Nauckius resistentibus libris et plurimis editoribus coniecit ῥοπῆς pro ῥώμης). Mutavit tragicus, ut saepius olet, elegantem et valde celebratam phrasin ἐπ'

ἐλπίδος ὀχεῖσθαι, quam in proverbium abiisse testantur Suid. s. *λεπτή τις ἐλπίς ἐστ' ἐφ' ἧς ὀχούμεθα* et Apost. X, 55, explicantes *ἐπὶ τῶν ἀμηχάνων*. Comparatur igitur *ἐλπίς* cum fragili navi vel curru, quo qui vehatur in summo discrimine versetur. Quam imaginem paulo audacius varians poeta scripsit *ἐπ' ἀσθενοῦς ῥώμης*, quasi robur corporis sit vehiculum, quod hominem per vitam portet. Ceterum Porsonus in glossa ad Orest. l. c. adnotat, proverbium usurpasse Aristoph. Equit. 1244, eundem ap. Athen. XII, p. 551 C; Platon. Legg. III, 699 B; Plut. non posse suav. vivi c. 23, p. 1103 E. Cf. Soph. Ant. 189: *ἥδ'* (sc. *χθών*) *ἐστὶν ἡ σώζουσα καὶ ταύτης ἔπι / πλέοντες ὀρθῆς τοὺς φίλους ποιούμεθα.* —

Ex piscatorum retibus, quibus nomina erant *βόλος, γάγγαμον, δίκτυον*, petitum est proverbium exprimens, aliquem apertis oculis imprudenterque in periculum perniciemve irruere, quod est in Rhes. 730:

σῖγα πᾶς, ὕφιζ'· ἴσως γὰρ εἰς βόλον τις ἔρχεται.

Chorus custodum haec loquitur opinatus hostem appropinquare. Eodem spectat Eur. Bacch. 884:

ἀνὴρ εἰς βόλον καθίσταται.

Utrumque proverbiale esse, videmus ex App. prov. II, 19: *εἰς βόλον ἐλθεῖν· ἐπὶ τῶν εἰς καιρὸν ἐπί τι ἀφικνουμένων· ἐκ μεταφορᾶς τῶν ἰχθύων.* Desideratur autem in interpretatione Appendicis prov. explicatio indicans, in discrimen se implicare qui *εἰς βόλον ἔρχεται*. Omnino notionem sive incidendi sive immittendi in periculum malumve aliquid locutionibus hinc depromptis subesse solere, exempla docebunt.

γάγγαμον semel occurrit in Aesch. Agam. 357: *νὺξ . . . / ἥτ' ἐπὶ Τροίας πύργοις ἔβαλες στεγανὸν δίκτυον, ὡς μήτε μέγαν*

μήτ' οὖν νεαρῶν τιν' ὑπερτελέσαι
μέγα δουλείας | γ ά γ γ α μ ο ν ἄ τ η ς π α ν α λ ώ τ ο υ.

δίκτυον, quod modo legimus, passim repetitur. Quoniam autem est rete et piscatorium et venatorium atque vix usquam discerni potest, utrum auctor intellexerit, ultro traducimur ad rem venatoriam. Veteres enim aves et lepores aliosque quadrupedes cassibus laqueisque esse venatos, notum est. Proverbia quae affert Macar. III, 85: ἐν τοῖς ἐμαυτοῦ δικτύοις ἁλώσομαι· ἐπὶ τῶν ὑπὸ τῶν ἰδίων πανουργιῶν ἁλισκομένων et VI, 86: πάγην ἱστὰς ἐν πάγῃ ληφθήσῃ respexit evidenter Aesch. Cho 555, ubi Orestes sororem chorumque his admonet:

αὐτῷ δὲ κρύπτειν τάσδε συνθήκας ἐμάς,
ὡς ἂν δ ό λ ῳ κ τ ε ί ν α ν τ ε ς ἄνδρα τίμιον
δ ό λ ῳ τ ε κ α ὶ λ η φ θ ῶ σ ι ν ἐ ν τ α ὐ τ ῷ β ρ ό χ ῳ
θ α ν ό ν τ ε ς.

Vid. supra p. 55 affine: αἱροῦντες ᾑρήμεθα. Neque ullus dubitationis locus mihi quidem relinquitur, quin dicta eodem spectantia eaque ex re venatoria sumpta proverbiis sint vindicanda. Ac primum quidem percensebo locos, in quibus inest significatio dolos insidiasve parandi. Atque versui Aesch. Agam. 358:

ἐπὶ Τροίας πύργοις ἔ β α λ ε ς | σ τ ε γ α ν ὸ ν δ ί κ τ υ ο ν

addo eiusd. fab. v. 822: spectantem ad dolum equi lignei

π ά γ α ς ὑπερκόπους ἐ φ α ρ ξ ά μ ε σ θ α,

et v. 1375: πῶς γάρ τις . . . . φίλοις | δοκοῦσιν εἶναι,

π η μ ο ν ῆ ς ἀ ρ κ ύ σ τ α τ' ἂ ν φ ά ρ ξ ε ι ε ν;

Aesch. Pers. 97: π α ρ ά γ ε ι βροτὸν ε ἰ ς ἄ ρ κ υ α ς Ἄ τ α, quod in memoriam revocat Agam. 361: γάγγαμον ἄτης, Soph. Aiac. 60: (ἄνδρα) ε ἰ σ έ β α λ λ ο ν ε ἰ ς ἕ ρ κ η κ α κ ά Eur. Iph. Taur. 77: ὦ Φοῖβε, ποῖ μ' αὖ τ ή ν δ' ἐ ς ἄ ρ κ υ ν

ἤ γ α γ ε ς | χρήσας;

Orest. 1420: κἀδόκει τοῖς μὲν οὔ / τοῖς δ' ἐς ἀρκυστάταν μηχανὰν ἐμπλέκειν / παῖδα τὰν Τυνδαρίδ' ὁ μητροφόντας δράκων,
Ion. 1273: εἴσω γὰρ ἄν με περιβαλοῦσα δικτύων ἄρδην ἂν ἐξέπεμψας εἰς Ἅιδου δόμους,
Phoen. 262: ὃ καὶ δέδοικα μή με δικτύων ἔσω λαβόντες οὐκ ἐκφρῶσ' ἀναίμακτον χρόα,
Androm. 995: τοία γὰρ αὐτῷ μηχανὴ πεπλεγμένη βρόχοις ἀκινήτοισιν ἕστηκεν φόνον πρὸς τῆσδε χειρός.

Converto me ad locos, qui exprimunt notionem incidendi in discrimen.*)

Aesch. Prom. 1078: εἰς ἀπέραντον δίκτυον Ἄτης ἐμπλεχθήσεσθ' ὑπ' ἀνοίας,
quocum cf. Aesch. Agam. 361, Pers. 97 supra allata.
Aesch. Sept. 608: ταὐτοῦ κυρήσας ἐκδίκοις ἀγρεύματος,
Agam. 1611: ἰδόντα τοῦτον τῆς δίκης ἐν ἕρκεσιν,
Agam. 1048: ἐντὸς δ' ἂν οὖσα μορσίμων ἀγρευμάτων,
Soph El 1476: τίνων ποτ' ἀνδρῶν ἐν μέσοις ἀρκυστάτοις / πέπτωχ' ὁ τλήμων;
Soph. El. 837: Ἀμφιάρεων χρυσοδέτοις ἕρκεσι κρυφθέντα γυναικῶν,
ubi simul alluditur ad collare aureum, quo corrupta Eriphyle maritum prodidit.
Eur. El. 965: ἄρκυν εἰς μέσην πορεύεται,
quocum cf. Bacch 848 et Rhes. 730 (vid. p. 71),
Eur. Cycl. 196: ἀρκύων μολεῖν ἔσω,
Orest 1315: στείχει γὰρ εἰσπεσοῦσα δικτύων βρόχους,
Med. 1278: ὡς ἐγγὺς ἤδη γ' ἐσμὲν ἀρκύων ξίφους

*) Welckerus (Nov. Mus. Rhen. I, p. 435) haud recte — ut mihi videtur — eiusmodi locutiones ab vetustissimo more retibus pugnandi derivat, nixus Hesych. I, 1436: ἕρκη· ὅπλα. Σοφ. Τρωΐλῳ (frgt. 563).

i. e. propinqui sumus periculo pereundi gladio. Quocum egregie convenit eiusd. Herc. fur. 729: βρόχοισι δ' ἀρκύων κεκλήσεται ξιφηφόροισι, ubi secutus Elmsleium et Pflugkium (nixos Androm. 502) recepi κεκλήσεται; eiusd. Med. 986: τοῖον εἰς ἕρκος πεσεῖται

καὶ μοῖραν θανάτου δύστανος,

Bacch. 451: ἐν ἄρκυσιν γὰρ ὤν

οὐκ ἔστιν οὕτως ὠκὺς ὥστε μ' ἐκφυγεῖν.

Quantopere Aeschylus eiusmodi tralationes adamaverit, et ex locis, quos composui, et ex his elucet: Eum. 112 et 147; Agam. 1114, ubi legitur: ἄρκυς ἡ ξύνευνος audaci sane singularique imagine adhibita. —

Progrediamur ad proverbia ab agricultura petita. Respiciens G. C. L. II, 57 (coll. Mac. IV, 93): καρπὸν, ὃν ἔσπειρες, θέριζε· ἐπὶ τῶν τοιαῦτα πασχόντων οἷα ἔδρασαν· παρῆκται δὲ ἀπὸ τοῦ στίχου· „εἰ δὲ κακὰ σπείραις, κακά κεν ἀμήσαιο." καὶ πάλιν „ὃς δὲ κακὰ σπείρει, θεριεῖ κακὰ κήδεα παισίν" locutiones a semendo et metendo profectas, quae in tragoediis occurrunt, proverbiis assignandas puto.

Aesch. Pers. 821: ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν

ἄτης, ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος,

Sept. 601: ἄτης ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται,

quem versum ab sententiarum conexu alienum delendum esse cum Porsono, Schutzio, Hermanno, Dindorffio censeo. Aesch. Agam. 1654: μηδαμῶς — — ἄλλα δράσωμεν κακά.

ἀλλὰ καὶ τάδ' ἐξαμῆσαι πολλὰ δύστηνον θέρος.

Agam. 501: ὅστις τάδ' ἄλλως τῇδ' ἐπεύχεται πόλει

αὐτὸς φρενῶν καρποῖτο τὴν ἁμαρτίαν,

Eur. frgt. 423: βίᾳ νυν ἕλκετ' ὦ κακοὶ τιμὰς βροτοί,

καὶ κτᾶσθε πλοῦτον πάντοθεν θηρώμενοι,

σύμμικτα μὴ δίκαια καὶ δίκαι' ὁμοῦ·

ἔπειτ' ἀμᾶσθε τῶνδε δύστηνον θέρος.

Idem et Sophocles hanc sententiam etiam sine metaphora expresserunt:
Eur. frgt. 32: κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίγνεται κακὸν τέλος
Phoen. 814: οὐ γὰρ ὅ μὴ καλὸν οὔποτ' ἔφυ καλόν.
Hic enim exprimitur, non posse id quod a principio non honestum fuerit, honestum fieri, sed semper manere inhonestum, id quod perspexit plane schol. Minime igitur probanda est coniectura pro καλόν inducens φίλον, quam Valckenarius proposuit, falso respiciens proverbium ὅ τι καλὸν, φίλον ἀεί ap. Eur. Bacch. 881 et 901 obvium, de quo alio loco plura.

Soph. frgt. 747: ἔργου δὲ παντὸς ἤν τις ἄρχηται καλῶς,
καὶ τὰς τελευτὰς εἰκός ἐσθ' οὕτως ἔχειν.

Cf. I Sam. 24, 14: „das alte Sprichwort sagt: von Frevlern kommt Frevel"; nobilissimum illud Pauli apostoli in Epist. Galat. VII, 7: ὃ γὰρ ἂν σπείρῃ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει, II. Corinth. IX, 6; Matth. VII, 16 sqq., XII, 33; Luc. VI, 44. Ex magna Latinorum copia unum appono: Cic. de orat. II, 65, 261: „ut sementem feceris, ita metes." —

Neoptolemus postquam aperuit, se Philoctetae arcum esse redditurum, Ulixi cum indignatione interroganti quid velit, respondet: Soph. Phil. 1238:

δὶς ταὐτὰ βούλει καὶ τρὶς ἀναπολεῖν μ' ἔπη;

Quamquam notione καλόν omissa alius sensus prodiit, tamen verba quidem mutuatus esse videtur poeta ex proverbio obvio ap. Plat. Phileb. 60 A: εὖ δ' ἡ παροιμία δοκεῖ ἔχειν, τὸ καὶ δὶς καὶ τρὶς τό γε καλῶς ἔχον ἐπαναπολεῖν τῷ λόγῳ δεῖν, cuius sententiam aliis verbis expressam reperimus ab eodem Gorg. 498 E, Legg. VI, 754 B, XII, 756 E, unde excerpserunt Zen. III, 33; Diog. IV, 20: δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν· ὅτι χρὴ περὶ τῶν

καλῶν πολλάκις λέγειν. Significat autem ἀναπολεῖν tralatum ab iterato tertiatoque agro, repetere verba quo magis res inculcetur sive deliberetur. Recurrit verbum ap. Pind. Nem. VII, 104: ταὐτὰ δὲ τρὶς τετράκι τ' ἀμπολεῖν ἀπορία τελέθει et ap. Plat. Phileb. 34 B: μνήμην ἀναπολεῖν, quod Suidas interpretatur ἀναμιμνήσκεσθαι, atque compositum idem valens in Plat. Legg. IV, 723 E: πάλιν οὖν, οἷόν φασιν οἱ παίζοντες, ἀμεινόνων ἐξ ἀρχῆς δευτέρων ἐπαναπολήσωμεν. Quem locum sic explicat schol. p. 451: δευτέρων ἀμεινόνων· παροιμία λεγομένη μὲν ἐπὶ τῶν θυομένων ἐκ δευτέρου, τῶν προτέρων ἀπαισίων ὀφθέντων δηλαδή· μετῆκται δὲ ἐκ τούτων καὶ ἐπὶ τῶν λεγομένων δεύτερον τῶν αὐτῶν, ὁπόταν μὴ κατὰ γνώμην ἡμετέραν προβῇ τὰ πρότερα. Hoc proverbium ab Zen III, 15; Diog. IV, 15; Apost. V, 88 receptum respexisse videtur Eur. Hipp. 435:

νῦν δ' ἐννοοῦμαι φαῦλος οὖσα· κἀν βροτοῖς
αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι.

Sed redeo ad verbum ἀναπολεῖν: quam mataphoram si recte proverbialibus vindicavi, idem statuerim de adiectivo τριπόλιστος, quod legimus Soph. Ant. 858:

πατρὸς τριπόλιστον οἶκτον

Vocis vim explanat schol. sic: πολλάκις ἀναπεπολημένον ἢ διάσημον καὶ πανταχοῦ ἀκουόμενον καὶ πολούμενον, et glossa adnotat: πολυθρ'λλητον καὶ πάνδημον δυστυχίαν, ἣν πᾶς ἐλεεῖ. Apparet igitur τριπόλιστον idem significare atque τριπόλητον et ab πολίζειν = πολεῖν esse derivandum, id quod Schneiderus, Reisigius, Böckhius (kl. Schr. Suppl. I, p. 220 f) statuerunt. Atque hic praeclare interpretatur: „es ist des Hauses vielberufene, von Aller Mund strömende Jammerklage“, advocans Oed. Col. 597. Τρις autem in hac compositione idem sonat quod in cognatis τρισάθλιος, τρισκακοδαίμων,

τρισκατάρατος, id genus aliis. Propinqua est tralatio ab sulcis agri petita in Aesch. Sept. 593: βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος, unde hausisse videntur Suidas s. v. et Apost. IV, 69: βαθεῖαν αὔλακα· ἐπὶ τῶν βαθείας φρένας καὶ κεκρυμμένας ἐχόντων. Ad lectum genialem transferunt vocem ἄλοξ Soph. Oed. Reg. 1210 et Eur. Phoen. 18. —

A frumento metiendo sumptum est Soph. frgt. 723:

ὡς μήτε κρούσῃς μήθ' ὑπὲρ χεῖλος βάλῃς,

quod tradidit Harpocrat. p. 147, 17: παρακρούεται ἀντὶ τοῦ ἐξαπατᾷ. μετῆκται δὲ τοὔνομα ἀπὸ τοῦ τοὺς ἱστάντας τι ἢ μετροῦντας κρούειν τὰ μέτρα καὶ διασείειν ἕνεκα τοῦ πλεονεκτεῖν, καὶ ὡς Σοφοκλῆς που· ὡς κτλ. Versum in proverbii consuetudine fuisse, docet Hesych. II, p. 1598: παροιμία ἐπὶ τοῦ συμμέτρου τασσομένη. Haud usquam alibi hoc legitur. —

Tralatio ex medicina deprompta occurrit in Eur. frgt. 1071: ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσιν βρύων i. e. ipse ulceribus scatens aliis medetur. Versum proverbii locum obtinuisse testes sunt Apost. II, 26 et Greg. Naz. orat. I, p. 7 B: ἢ τῆς παροιμίας μὴ πόρρω θέωμεν ἄλλους ἰατρεύειν ἐπιχειροῦντες αὐτοὶ βρύοντες ἕλκεσι Similes sententias collegerunt Nauckius in glossa h. l. et Wyttenbachius ad Plut. Moral. 71 F.

Idem exprimit ab artificio quodam in vitium cultura adhibito profecta imago, quae subest Soph. frgt. 183:

πέπων ἐρινὸς ἀχρεῖος ὢν
ἐς βρῶσιν ἄλλους ἐξερινάζεις λόγῳ,

cuius versum primum Porsonus supplet: πέπων ἐρινὸς ὢς ἀχρεῖος αὐτὸς ὤν. Vinitores solebant caprificos (ἐρινεά, ἐρινούς) supra ficos (σῦκα) suspendere, ut culices ex illis in hos transgressi ictu ficos ad maturitatem perducerent: quod Graeci ἐρινάζειν, ἐξερινάζειν, Latini caprificare vocant. Hic igitur evadit sensus: tu qui ipse

es inutilis imprudensque, alios vis dicendo docere. Neque solum hoc frgt. Sophocleum colore proverbiali tinctum esse affirmaverim, verum etiam alios tragicorum locos eandem sententiam sine pronunciatione figurata exprimentes, qui satis crebri sunt. Haud scio an eo sim adductus divino illo monito Iesu Christi obvio ap. Matth. VII, 3: *τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος το ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴν δὲ ἐν τῷ σῷ ὀφθαλμῷ δοκὸν οὐ κατανοεῖς,* quod menti meae obversabatur cum legerem Eur. frgt. 1029:

ἅπαντές ἐσμεν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί,
αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες οὐ γιγνώσκομεν.

Quocum compono

Aesch. Prom. 263: *ἐλαφρὸν, ὅστις πημάτων ἔξω πόδα ἔχει, παραινεῖν νουθετεῖν τε τὸν κακῶς / πράσσοντ',*

Eur. Herc. fur. 1249: *σὺ δ' ἐκτὸς ὢν γε συμφορᾶς με νουθετεῖς,*

Alc. 1078: *ῥᾷον παραινεῖν ἢ παθόντα καρτερεῖν,*

coll. eiusd. frgt. 45, 576, Herc. fur. 1313. Qui verborum consensus firmissimum videtur argumentum speciei proverbialis. —

Quoniam modo tractavi proverbium a medicina sumptum, annectam aliud quod ex eodem fonte manavit, dico *κακοῖς ἰᾶσθαι κακά*. Quod quamquam in corp. paroem. desideratur, iure ac merito receperunt Erasm. p. 58 et Schwidopius l. c. Occurrit enim dictum — interdum paulo variata forma — apud plurimos omnis generis auctores. In tragoediis legimus: Aesch. frgt. 339:

μὴ κακοῖς ἰῶ κακά

haustum ex Phrynich. Bekk. p. 48, 22: *κακοῖς κ. ἰᾶσθαι· τὸ ἀποκρύπτειν τὰ φθάσαντα κακὰ τοῖς ἐφεξῆς πραττομένοις κακοῖς κτλ.*

Soph. Aiac. 362: μὴ κακὸν κακῷ διδοὺς
ἄκος, πλέον τὸ πῆμα τῆς ἄτης τίθει,
frgt. 75: ἐνταῦθα μέντοι πάντα τἀνθρώπων νοσεῖ,
κακοῖς ὅταν θέλωσιν ἰᾶσθαι κακά,
frgt. 527: ὅστις γὰρ ἐν κακοῖσι θυμωθεὶς βροτῶν
μεῖζον προσάπτει τῆς νόσου τὸ φάρμακον,
ἰατρός ἐστιν οὐκ ἐπιστήμων κακῶν.

Quadrat igitur proverbium in eos, qui malum tantum abest ut diminuant, ut augeant stultitia. Cf. supra: πρὸς κέντρα λακτίζειν. Usurpant nostrum: Herod. III, 53: μὴ τῷ κακῷ τὸ κακὸν ἰῶ, Thucyd. V, 65: διανοεῖται κακὸν κακῷ ἰᾶσθαι, Plat. Protag. 340 D: εἰμί τις γελοῖος ἰατρός· ἰώμενος μεῖζον τὸ νόσημα ποιῶ, Plut. Alcib. 25: ἐπεχείρησαν ἰᾶσθαι μείζονι κακῷ τὸ κακόν, Aristid. Lept. I, § 57: κακῷ τὸ κακὸν ἰᾶσθαι. —

Vulgo diffidebant vatibus infamatis, quod mendaciis homines decipiebant. Vid. Hermann. Griech. Antiqu. II², § 37, Anm. 15. Itaque Creon eloquitur Soph. Ant. 631: τάχ' εἰσόμεσθα μάντεων ὑπέρτερον, ubi schol. ὁ λόγος παροιμιακῶς, ὁπότε μὴ στοχασμῷ χρώμεθα, ἀλλ' αὐτόπται τῶν πραγμάτων γινόμεθα· προγιγνώσκει μὲν γὰρ καὶ ὁ μάντις, ἀλλὰ στοχασμῷ χρῆται. Quocum concinit Rhes. 952: οὐδὲν μάντεων ἔδει φράσαι. Eodemque spectare videtur scholiastes, qui ad Soph. Aiac. 746: εἴπερ τι Κάλχας εὖ φρονῶν μαντεύεται adnotat: ἐκ παροιμίας ὁ στίχος παρῆκται, ἣν καὶ ὁ Ἀριστοφάνης ἀναγράφει. Quem comici locum respexerit, nescio.

Neminem vates adire solere nisi miseriis obrutum atque oppressum, adumbrat Aesch. Agam. 1133:

κακῶν γὰρ διαὶ | πολυεπεῖς τέχναι θεσπιῳδοὶ
φόβον φέρουσιν μαθεῖν,

ubi schol. adscripsit: 'παρα τὸ λεγόμενον ἐν συνηθείᾳ' „οὐδεὶς εὐτυχὴς πρὸς μάντιν ἀπέρχεται", quod dictum iudice explicatore illo videtur proverbii locum obtinuisse. —

Ab fabrorum regula sive amussi petitae sunt duae apud tragicos obviae locutiones proverbiales. Quarum altera in lucem famamque provecta est ab Sophocle in frgt. 306:

τοῖς μὲν λόγοις τοῖς σοῖσιν οὐ τεκμαίρομαι,
οὐ μᾶλλον ἢ λευκῷ λίθῳ λευκὴ στάθμη.

Quo de proverbio G. C. L. II, 67 (qui ad verbum fere consentit cum schol. Plat. 323) haec profert: *ἐπὶ τῶν ἄδηλα ἀδήλοις σημειουμένων κἂν τούτῳ μηδὲν συνιέντων. ἡ γὰρ ἐν λευκοῖς λίθοις στάθμη λευκὴ οὐ δύναται δεικνύναι διὰ τὸ μὴ παραλλάττειν, καθάπερ ἡ διὰ τῆς μίλτου γιγνομένη. ὡς Σοφ. κτλ.* Eadem fere praebent: Phot. Lex. p. 217, 11; Suid. et Hesych. v. *λευκὴ στάθμη;* Apost. X, 64; Eust. Il. p. 1022. Proverbium receperunt Zen. IV, 89 et G. C. II, 100; decurtatam formam *λευκὴ στάθμη* habent Diog. VI, 8; D. V. III, 9; Plut. prov. I, 39. Quid sibi velit adagium, liquet. Cf. Plat. Charm. 154 B: *ἀτεχνῶς γὰρ λευκὴ στάθμη εἰμὶ πρὸς τοὺς καλούς.*

Altera ad amussim spectans locutio est *παρὰ στάθμην*. Legitur in Soph. frgt. 430:

ὥστε τέκτονος / παρὰ στάθμην ἰόντος

significatque: secundum amussim, ad rectam lineam, accurate. Vid. Erasm. p. 173. Contraria autem vis inest in Aesch. Agam. 1045:

ὠμοί τε δούλοις πάντα καὶ παρὰ στάθμην,

nam valet: praeter amussim i. e. praeter aequum bonumque. Quod alicubi hanc significationem non rep-

peri, probabilissimum duco, cum Engero esse legendum κοὐ παρὰ στάθμην.

Crebrescunt exempla illius notionis: Theogn. 543:

χρή με παρὰ στάθμην καὶ γνώμονα τήνδε δικάσσαι,
Κύρνε, δίκην, ἶσόν τ' ἀμφοτέροισι δόμεν,

eiusd. 945: εἶμι παρὰ στάθμην ὀρθὴν ὁδόν,
Theocr. XXV, 194:
αὐτὸς καὶ μάλα ῥεῖα κατὰ στάθμην ἐνόησας,
Pind. Pyth. VI, 45:
Θρασύβουλος πατρῴαν μάλιστα πρὸς στάθμαν ἔβα.

Videtur igitur παρὰ στάθμην formula dicenda fuisse proverbialiter trita. Similia comportavit Coenen l.c. p. 106. Non huc pertinet Eur. Ion. 1514: παρ' οἵαν ἤλθομεν στάθμην βίου, quo de loco vid. quae Herwerdenus docte disseruit. —

Ex Hom. Il. *K* 173:

νῦν γὰρ δὴ πάντεσσιν ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς
ἢ μάλα λυγρὸς ὄλεθρος Ἀχαιοῖς ἠὲ βιῶναι

fluxisse videtur locutio proverbialis ἐπὶ ξυροῦ pro eo quod est in summo discrimine. Nam si quid in tenuissima acie cultri tonsorii versatur, in alteramutram partem iamiamque decidat necesse est. Vid. Hesych. et Suid. s. v. et s. ξυροῦ ἀκμῆς. Adhibent proverbium tragici his locis: Aesch. Cho. 883:

ἔοικε νῦν αὐτῆς (sc. Clytaemnestrae) ἐπὶ ξυροῦ πέλας
αὐχὴν πεσεῖσθαι πρὸς δίκης πεπληγμένος,

ubi πέλας nonnulli vitiosum iudicaverunt; videtur autem auctore Bambergero ita explicari posse, ut „ad imperfectum loquendi genus et pleonasmos referatur, quibus Aeschylus servorum hominumque humili loco oriundorum orationem plerumque ornare voluit, ὁ αὐτῆς ἐπὶ ξυροῦ, πέλας (sc. τοῦ ξυροῦ) αὐχήν."

Soph. Ant. 996: *φρόνει βεβὼς αὖ νῦν ἐπὶ ξυροῦ τύχης*, Eur. Herc. fur. 630: *ὧδ' ἔβητ' ἐπὶ ξυροῦ;* Paroemiographi alii ex aliis scriptoribus haurientes, ut videtur, has varias proverbii formas praebent: *ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται* (Zen. III, 47 cod. B.), *ἐπὶ ξυροῦ βαίνειν* (Diog. IV, 41), *ἐπὶ ξυροῖ* (G. C. II, 50; G. C. M. III, 23), *ἐπὶ ξυροῦ ἕστηκε τὸ πρᾶγμα* (Mac. IV, 7), *ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῇ ἕστηκεν* (Apost. VI, 100), *ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς* (Diog. II, 63; Mant. prov. I, 56). Omnes fere interpretantur *ἐπὶ τῶν (σφόδρα) κινδυνευόντων* aut similiter. Celebratur proverbium ab his auctoribus: Theogn. 557: *κίνδυνός τοι ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς*, Simonid. Cei frgt. 97:

ἀκμᾶς ἑστακυῖαν ἐπὶ ξυροῦ Ἑλλάδα πᾶσαν
ταῖς αὐτῶν ψυχαῖς κείμεθα ῥυσάμενοι / δουλοσύνα

Herod. VI, 11: *ἐπὶ ξυροῦ γὰρ ἀκμῆς ἔχεται ἡμῖν τὰ πρήγματα*, Theocr. XXII, 6: *ἀνθρώπων σωτῆρας ἐπὶ ξυροῦ ἤδη ἐόντων*, Lucian. Iov. trag. 3: *ἐν ἐσχάτοις, ὦ Ἥρα, τὰ θεῶν πράγματα καὶ τοῦτο δὴ τὸ τοῦ λόγου, ἐπὶ ξυροῦ νῦν ἕστηκεν.* Alia vid. apud Leutsch. ad D. V. II, 63 et ap. Schwidop. s. v. Iuvat exscribere quae Pflugkius ad Eur. l. c. adnotavit: „scite etiam Goethius Graecum proverbium adhibuit in Epistol. ad Zelterum vol. VI, p. 128: vom Schauspieler will ich gar nicht reden; sie tanzen auf der Rasiermesserschärfe des Augenblicks.“ Variata adagii forma utitur Soph. Aiac. 786:

ξυρεῖ γὰρ ἐν χροῷ τοῦτο μὴ χαίρειν τινά,

ibique schol.: *ἅπτεται τῶν ἀναγκαίων τοῦ χρωτός. καὶ ἔστι παροιμία ἐπὶ τῶν ἐπικινδύνων πραγμάτων „ξυρεῖ ἐν χροῷ“. ἐνίοτε γὰρ καὶ τοῦ σώματος ἐφάπτεται ὁ σίδηρος. ἄλλως· ἐπὶ βάθους ἐφικνεῖται, ὥστε μὴ χαίρειν.* Posteriorem explicationem praebet etiam Suidas s. *ξυρεῖ*. Proprie igitur significat locutio: usque ad cutem radere,

tralate autem usurpabatur de dolore alte penetrante aut de summo periculo, ubi vita agitur. Afferunt versum Sophocleum Ap. XII, 23 et Eust. Il. p. 796, 58 et 1258, 18. Leutsch. advocat Plaut. Bacch. 242: „ita detondebo auro usque ad vivam cutem.“ —

A veru ortum est proverbium, quod est in Soph. frgt. 744: *τὸ θερμὸν τοῦ ὀβελοῦ*. Bene Erasmus p. 486 subaudiendum censet „arripuit“ aut simile quippiam. De adagii vi Phot. Lex. 593, 3 et Suidas docent: *ἐπὶ τῶν (ἀν)αιρουμένων τὰ χείρονα ἀντὶ τῶν κρειττόνων. ἡ παροιμία ἀπὸ τῶν ἀπείρως δρασσομένων κατὰ τὸ πεπυρωμένον τῶν ὀβελίσκων*. Quibuscum Zen. VI, 19 et Plut. prov. I, 97 ad verbum fere concinunt. Quadrat igitur proverbium in eos, qui per imperitiam ea parte rem aggrediuntur, qua minime debuerunt, ita ut sibi ipsis mala parent. —

Subiungere hic libet proverbium a sagittas mittendo natum *βαλὼν φεύξεσθαι οἴει*; quod Zen. II, 71; D. V. II, 3; Apost. IV, 83; Suid. interpretantur: *πρὸς τοὺς κακόν τι δράσαντας καὶ οἰομένους φυγεῖν*. Id respexisse Sophoclem bene viri docti coniecerunt, cum scriberet

Oed. Reg. 354: *οὕτως ἀναιδῶς ἐξεκίνησας τόδε*
τὸ ῥῆμα; καί που τοῦτο φεύξεσθαι δοκεῖς;

Indicat igitur poeta, si quis quid peccet, eum debere ferre quae inde efficiantur. Cognatus locus est

Eur. Alc. 679: *ἄγαν ὑβρίζεις, καὶ νεανίας λόγους*
ῥίπτων ἐς ἡμᾶς οὐ βαλὼν οὕτως ἄπει,

ubi *βαλὼν* abundare neque nisi ob proverbii formam genuinam additum esse videtur; dicit autem Pheres haec: non sic i. e. non impune abibis, si insolenter in me inveheris.

Quae sententia par pari referendi variis formis trita proculdubio proverbiis est adnumeranda. Nempe lege

talionis nulla lex vetustior: vid. Aristot. Ethic. Nicom. V, 5: *καί τοι βούλονταί γε* (sc. *οἱ Πυθαγόρειοι*) *τοῦτο λέγειν καὶ τὸ Ῥαδαμάνθυος δίκαιον· εἴ κε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.* Tum perfamiliaris est sententia tragicis. Denique dictionis similitudo inter singulos locos intercedens maior est quam quae casui possit tribui. Totam autem silvam locorum congerere, infiniti operis foret; itaque compendium facturi paucis iisque luculentissimis defungamur exemplis. Ac primum quidem perlustremus locos vetustissimo illi Aristotelico cognatos:

Aesch. Cho. 312: *ἀντὶ δὲ πληγῆς φονίας φονίαν*
πληγὴν τινέτω. δράσαντι παθεῖν,
τριγέρων μῦθος τάδε φωνεῖ,

quorum versus posterior certum indicium speciei proverbialis producit.

Aesch. Agam. 1564: *μίμνει δὲ μίμνοντος ἐν θρόνῳ Διὸς*
παθεῖν τὸν ἔρξαντα,

v. 1527: *ἄξια δράσας ἄξια πάσχων,*

v. 1657: *στεῖχε καὶ σὺ χοἰ γέροντες πρὸς δόμους πεπρωμένους,*
πρὶν παθεῖν ἔρξαντες· καὶ γὰρ χρῆν τάδ' ὡς ἐπράξαμεν.

Versum alterum corruptelis laborantem ita sanare conatus sum, ut post *ἔρξαντες* interpunxerim et pro *καιρὸν* coniecerim *καὶ γάρ*.

Aesch Pers. 813: *τοιγὰρ κακῶς δράσαντες οὐκ ἐλάσσονα πάσχουσι,*

frgt. 444: *δράσαντι γάρ τοι καὶ παθεῖν ὀφείλεται,*

quod simillimum est

Soph. frgt. 210: *τὸν δρῶντα γάρ τι καὶ παθεῖν ὀφείλεται.*

Quo ex miro verborum consensu num Nauckius recte collegerit, Aeschyli nomen fortasse errori deberi,

dubito; potius inde novum argumentum idque firmissimum proverbii repetierim.

Soph. frgt. 18: εἰ δείν' ἔδρασας, δεινὰ καὶ παθεῖν σε δεῖ, coll. El. 1026, 1382.

Eur. Ion. 1247: ἆρα θέλουσαι / δρᾶσαί τι κακὸν τοὺς πέλας αὐταὶ / πεισόμεθ', ὥσπερ τὸ δίκαιον;

Orest. 413: οὐ δεινά, πάσχειν δεινὰ τοὺς εἰργασμένους (sc. δεινά),

Hec. 1086: δράσαντι δ' αἰσχρὰ δεινὰ τἀπιτίμια,

Herc. fur. 727: προσδόκα δὲ δρῶν κακῶς / κακόν τι πράξειν,

frgt. 1036: κακὸν γὰρ ἄνδρα χρὴ κακῶς πάσχειν ἀεί, quod recepit Mant. prov. I, 83. Addo eiusd. frgt. 712, 1075; Herc. fur. 215; Heracl. 424; Ion. 844, 902 sqq.

Ex aliis duos tantum locos adicio: Hesiod. opp. 265:

οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων,
ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη,

Pind. Nem IV, 31: ἐπεὶ ῥέζοντά τι καὶ παθεῖν ἔοικεν.

Eiusdem sententiae variata forma, respondens nostro: „wie man in den Wald hineinruft, so schallt es heraus", legitur cum iam in Hom. Il. Υ 250:

ὁπποῖόν κ' εἴπησθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις,

Hesiod. opp. 721: εἰ δὲ κακὸν εἴποις, τάχα κ' αὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις,

Alcae. frgt. 83: αἴ κ' εἴπῃς τὰ θέλεις, (αὖτος) ἀκούσαις κε, τά κ' οὐ θέλοις,

tum maxime apud Sophoclem et Euripidem.

Soph. Ant. 757: βούλει λέγειν τι καὶ λέγων μηδὲν κλύειν;

frgt. 844, v. 3-4: φιλεῖ δὲ πολλὴν γλῶσσαν ἐκχέας μάτην ἄκων ἀκούειν οὓς ἑκὼν εἶπεν λόγους,

Oed, Reg. 543: ἀντὶ τῶν εἰρημένων / ἴσ' ἀντάκουσον,

El. 523: κακῶς δέ σε / λέγω κακῶς κλύουσα πρὸς σέθεν θαμά,
coll. Aiac. 1085, 1323;
Eur. Alc. 704: εἰ δ' ἡμᾶς κακῶς ἐρεῖς, ἀκούσει πολλὰ κοὐ ψευδῆ κακά,
Herc. fur. 1244: ἴσχε στόμ', ὡς μὴ μέγα λέγων μεῖζον πάθῃς,
Heracl. 1014: ἄγ' εἶπας ἀντήκουσας,
coll. Androm. 740, Hecub. 1250, frgt. 882.
Iuvat apponere: Terent. Andr. 920: si mihi pergit quae volt dicere, ea quae non volt audiet, Plaut. Pseud. 1173: contumeliam si dicis, audies. —

Transeo ad proverbia ex institutis socialibus petita. Nonnulla nata sunt a ludendo tesseris. Tribus tesseris ludebatur et iactus ter sex erat felicissimus, trium autem inanis. Inde τρὶς ἕξ de felici eventu proverbialiter dicebant, vid. App. prov. IV, 99, et ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι Zen. IV, 23 auctore ἐπὶ τῶν ἀποκινδυνευόντων, coll. Diog. V, 4; D. V. II, 85; Apost. VIII, 72; Mant. prov. I, 34; Eust. Il. 1083, 63 et Od. 1397, 15. Huc pertinent lepida illa excubitoris verba, quae sunt apud Aesch. Agam. 32: τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας, ubi schol. rec.: παροιμία ἐπὶ τῶν ἄκρως εὐτυχούντων, ἐπεὶ καὶ τοῖς κυβευταῖς οὐκ ἔστι πλείω τούτων εὐθυβολῆσαι. Exprimit igitur haec: cum excubiae quam prosperrimo usae sint successu, fore ut res heriles bene cadant. Quod autem legimus in v. 32 εὖ πεσόντα θήσομαι brevem excitat explicationem. Verbum πίπτειν enim proprie usurpatum de casu tesserarum, innumerabilibus paene locis transfertur ad eventum fortunamque. Itaque πρὸς τὰ νῦν πεπτωκότα sive πρὸς τὸ πῖπτον significat „ex condicione“ adhibeturque ab Euripide

formae dicendi instar: Iph. Aul. 1343, Hippol. 718, El. 639, frgt. 175. Declarat hoc Plat. Reip. X, 604 C ὥσπερ ἐν πτώσει κύβων, πρὸς τὰ πεπτωκότα τίθεσθαι τὰ αὑτοῦ πράγματα. Haec hactenus.

Aliud ex eodem fonte derivatum proverbium afferunt scholl. Aesch. Agam. 33 et Eur. Orest. 603, dico Soph. frgt. 809:

ἀεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι.

Paroemiographi duas praebent interpretationes; utramque legimus ap. Zen. II, 44 et Diog. I, 58: ἐπὶ τῶν εἰς πάντα εὐδαιμονούντων. οἱ δὲ ἐπὶ τῶν ἀξίως τιμωμένων. Mac. I, 37 et Apost. I, 40 repetunt priorem, alteram G. C. I, 18 et G. C. M. I, 18. Facile intellegitur illam unam esse probandam et quadrare proverbium in eos, quibus „res omnes, ut ait Erasmus p. 93, perpetuo quodam fortunae favore, ex animi sententia caderent."

Ex ludo latrunculorum, quem maxime adamaverunt Graeci, profectum esse mihi videtur proverbium πάντα λίθον sive πέτρον κινεῖν, quod usurpat Eur. Heracl. 1002:

οὐκ ἐχρῆν μ' ἄρα . . . .
πάντα κινῆσαι πέτρον,
κτείνοντα κἀκβάλλοντα καὶ τεχνώμενον;

Cuius de vi nulla est dissensio; dicitur enim in eos qui nihil non experiuntur, ut ea quae velint adipiscantur cf. Diog. VII, 42; Mac. VII, 4. Praeclare autem significatio apparet ex Plin. epist. I, 20, 15: „omnia pertempto, omnia experior, πάντα denique λίθον κινῶ." Sed de origine adagii quae proferunt interpretes, a vero aberrare iudico. Etenim Zen V, 63; Apost. III, 91; schol. Arist. Equit. 756, Hesych., Phot., Suid. eisque nixus Erasmus p. 130 miram narrant fabulam de Thebano quodam, qui rumore vulgato Mardonium intra

ambitum tentorii sui ingentem thesaurum defossum reliquisse, agrum illum emerit, cum vero nihil profecerit, oraculo iussus omnem lapidem movere, multam auri vim repperit. Nonnulli addunt, esse qui existiment, proverbium esse ductum ab iis qui cancros venarentur, quippe qui sub saxis latitarent in litore. Cognata est opinio perversa Bauckii, qui Rohdewaldium secutus p. 14 conicit, proverbium illud in breviorem formam esse contractum ex illo ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκόρπιος καθεύδει, de quo supra p. 18 dixi. Rectiorem autem viam ingredi mihi videor explicationem derivans ab ludo latrunculorum. De quo legimus in Marquardt, Handbuch der römischen Altertümer VII, 2, p. 833: „der Spieler geht darauf aus, die feindlichen Figuren entweder zu schlagen . . . oder sie festzusetzen; zuletzt wird einer matt, so dass er nicht mehr ziehen kann.“ Idem valuisse apud Graecos, docet Becq de Fouquières „les jeux des anciens“, p. 391—405. Si quis igitur in tantas angustias erat impulsus, ut timendum esset, ne ad incitas redigeretur, omnem calculum ciens inde se expedire conabatur.
De cognata locutione πάντα κάλων ἐξιέναι vid. p. 68.

Etiam verba ποῦ στάσει, ποῖ δὲ βάσει in Soph. Phil. 833 obvia dictionem proverbialem continere de re ab omni parte agenda, monet Buttmannus in glossa Wunderi ad h. l. comparatque Aiac. 1237:

ποῦ βάντος ἢ ποῦ στάντος,

quocum Lobeckius componit nostrum „wo er ging und stand.“ Eadem verba copulata reperimus etiam ab Eurip. Hec. 1056: πᾷ βῶ, πᾷ στῶ, πᾷ κέλσω;
coll. v. 1048: πᾷ βῶ, πᾷ στῶ, πᾷ κάμψω;
Alc. 863: ποῖ βῶ, πᾷ στῶ, τί λέγω, τί δὲ μή;

Summam industriam extremamque corporis intentionem significare solent et Graeci et Latini et nostrates forma vulgata: manibus pedibusque. Iam legitur in Hom. Il. Υ 306:
ἀλλ' ὅσσον μὲν ἐγὼ δύναμαι χερσίν τε ποσίν τε / καὶ σθένει et in Pind. Ol. X, 61: *ἔλαχε στέφανον / χείρεσσι ποσίν τε καὶ ἅρματι,* tum ap. Aeschin. de fals. leg. § 115: *τιμωρήσειν καὶ χειρὶ καὶ ποδὶ καὶ φωνῇ καὶ πάσῃ δυνάμει* et c. Ctesiph. § 109: *βοηθήσειν καὶ χειρὶ καὶ ποδὶ καὶ πάσῃ δυνάμει.* Temere quasi ac fortuito Euripides ad tritam dicendi formulam alludisse videtur Hecubam exclamantem faciens:

Hec. 836: *εἴ μοι γένοιτο φθόγγος ἐν βραχίοσι*
καὶ χερσὶ καὶ κόμαισι καὶ ποδῶν βάσει.

Perperam autem versui 837 in App. pròv. III, 38 allato hanc additam explicationem legimus: *ἀντὶ τοῦ παντὶ τρόπῳ, καὶ ἔργοις δηλαδή, ὃ δηλοῖ διὰ τοῦ χερσί, καὶ κατανεύσει, τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ κόμαισι, καί βαδίσει, ὃ δηλοῖ διὰ τῶν ποδῶν καὶ τῆς βάσεως*: quae explicatio, per se haud inepta, nisi ex loci conexu desumpto versui nunquam adscribi potuit. Ceterum cf. Mac. V, 5: *καὶ χειρὶ καὶ ποδὶ βοηθεῖ ὁμοία τῇ πάντα κάλων σείειν.* —

Postquam digressionem brevem feci, ut similia coniungerem, redeo ad proverbia ex institutis socialibus profecta.

Ad morem aliquem convivii spectans, ut videtur Clytaemnestra orationem suam de merita Agamemnonis morte sic finit: Aesch. Agam. 1397:

τοσῶνδε κρατῆρ' ἐν δόμοις κακῶν ὅδε
πλήσας ἀραίων αὐτὸς ἐκπίνει μολών

i. e. sibi ipsi perniciem paravit. Ex hoc fonte manavisse censeo proverbium, quod Diog. III, 22 et Apost. IV, 47 afferunt: *αὐτῷ κρητῆρι γίνῃ κακά,* quam scripturam

vitiosam frustra viri docti sanare conati sunt. Videtur mihi autem ansa medelae praeberi cum interpretatione, quam addunt paroemiographi: *ἐπὶ τῶν, οἷς καθ' ἑτέρων βουλεύονται, τούτοις περιπιπτόντων*, tum loco Aeschyleo. Inde hanc propono lectionem:

αὐτῷ κρητῆρ[α πλήσας (ἐκ)πίνει] κακά.

Subest igitur idem sensus huic loco atque proverbiis, quae supra pp. 55 et 72 tractavi. Addo cognatum sine imagine idem exprimens Soph. frgt. 323:

ταῦτ' ἐστιν ἄλγιστ', ἣν παρὸν θέσθαι καλῶς,
αὐτός τις αὑτῷ τὴν βλάβην προσθῇ φέρων.

Convivia in lucem protulerunt proverbium *οἶνος ἀλήθεια*, quod nostrates perhibere solent in forma Latina „in vino veritas." Est antiquissimum usitatissimumque; iam occurrit in Alcaei frgt. 57: *οἶνος, ὦ φίλε παῖ, καὶ ἀλάθεα*, mirum in modum consentit cum Theocrit. XXIX, 1: *οἶνος, ὦ φίλε παῖ, λέγεται καὶ ἀλάθεα.* Aliud Alcaei frgt. (53): *οἶνος γὰρ ἀνθρώποις δίοπτρον* simillimum est Aesch. frgt. 384:

κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐστ' / οἶνος δὲ νοῦ,

quod recepit Apost. IX, 59 c. Eundem sensum exprimit proverbium: *τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος ἐπὶ τῆς γλώττης ἐστὶ τοῦ μεθύοντος* ab Diog. VIII, 43 aliisque paroemiographis haustum ex Plut. de garrul. c. 4, p. 503 F. Praeterea paroemiographi has adagii formas variatas afferunt: *ἐν οἴνῳ ἀλήθεια* (Zen. IV, 5; Diog. IV, 81; Apost. VII, 37), *οἶνος καὶ ἀληθεια* (Diog. VII, 28; Mac. VI, 26), *οἶνος ὦ παῖδες ἀλήθεια* (G. C. III, 23; G. C. L. II, 83), *οἶνος καὶ παῖδες ἀληθεῖς* (Apost. XII, 49). Exscribo complura loco Aeschyleo affinia:

Theogn. 500: *ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον,*

Ion. frgt. 1, v. 12: *τῶν δ' ἀγαθῶν βασιλεὺς οἶνος ἔδειξε φύσιν.*

Cf. Plat. Symp. 217 E: *οἶνος ἄνευ τε παίδων καὶ μετὰ παίδων ἦν ἀληθής* cum scholl.; Ephipp. com. ap. Athen. II, 38 B: *μεθύοντάς φασι τἀληθῆ λέγειν;* Plin. nat. hist. XIV, 22, 141: „vulgoque veritas iam attributa vino est“; denique Schilleri nostri versus fabulae, quae est inscripta „die Piccolomini“: „Der Wein erfindet nichts, er schwatzt's nur aus“.

Soph. frgt. 550:

ἀπυνδάκωτος οὐ τραπεζοῦται κύλιξ

in proverbium abiisse testantur Mant. prov. I, 22; Eust. ad Iliad. *Λ*. 634, p. 870, 27; schol. ad eundem loc. in Anecdd. Paris. vol. 3, p. 16, 11. Exhibent senarium Poll. 10, 79; Hesych. I, p. 504; Etym M. 133, 50; et Theophrast. ap. Demetr. de eloc. 114 perstringit in eo *τὸ ψυχρόν*. Quid autem significet adagium, nemo evolvit. Inepta alucinatur Iunius ap. Erasmum l. c. p. 1095. —

Liceat mihi, huic dissertationis parti annectere proverbium de certamine sumptum, quod est in Aesch. frgt. 35:

ἀγὼν γὰρ ἄνδρας οὐ μένει λελειμμένους.

Versum proverbii locum obtinuisse, indicat G. C. L I, 11: *ἀγὼν πρόφασιν οὐκ ἀναμένει· ἐπὶ τῶν φύσει ῥαθύμων καὶ ἀμελῶν, ἤτοι ἐπὶ τῶν μὴ προσιεμένων τοὺς λόγους τῶν προφασιζομένων. . . . . Αἰσχύλος δέ φησι Γλαύκῳ Ποτνιεῖ· ἀγὼν κτλ* Eandem adagii formam legimus ap. Mac. I, 21 et ap. Suid. s. v. Aliae praeterea formae erant: *ἀγὼν πρόφασιν οὐκ ἐπιδέχεται οὐδὲ φιλία* (ap. Zen. II, 45; G. C. I, 19; G. C. L. I, 10), *ἀγὼν πρόφασιν οὐ δέχεται* (ap. schol. Platon. 370), *ἀγὼν οὐ δέχεται σκήψεις* (ap. Aristoph. Acharn. 392, Suid. v. *ἀγών*, Apost. I, 25). Quarum unamquamque idem significare nemo non videt. Sententiae causa appono Eur. Heracl. 722: *ὡς ἐγγὺς ἀγών, καὶ μάλιστ' Ἄρης στυγεῖ / μέλλοντας* et eiusd. Iph. Taur. 122: *μοχθὸς γὰρ οὐδεὶς τοῖς νέοις σκῆψιν φέρει.*

In praesens hactenus. Quae in capitibus secundo et tertio tractavi proverbia (vid. p. 8), alio tempore spero me publici iuris esse facturum.

Errata.

p. 11, v. 22: lege „Il“ pro II.
p. 24, v. 30: „ „quidem“ pro quidam.
p. 26, v. 12: „ „ἤγουν“ pro ἥγου.
p. 39, v. 9: „ „Plat.“ pro Plut.
p 43, v. 17: „ „βέλη“ pro βελγ.

Errata leviora accentus et interpunctionis hic silentio praetereo.
Passim litterae „J“ et „j“ pro I et i errore sunt positae.
Denique hi numeri in lacunas sunt inducendi:
p. 13: 86; p. 34: 53; p. 55: 72, 89; p. 63: 87, 35; p. 69: 87.

Sententiae controversae:

1. In Aesch. Agam. 1658 pro lectione codd. *καιρόν* scribendum esse censeo *καὶ γάρ*.

2. In Aesch. Cho. 450 *ἐν φρεσὶν γράφου* ⏑ — lacunam sic expleo: *ἐν φρενῶν δέλτοις γράφου*.

3. Pro verbis Diogen. III, 22 et Apostol. IV, 47: *αὐτῷ κρητῆρι γίνῃ κακά* propono: *αὐτὸς κρητῆρα πλήσας (ἐκ-)πίνει κακά*.

4. In Aesch. Agam. 1045 comprobo Engeri coniecturam pro *καὶ* scribentis *κοὐ παρὰ στάθμην*.

5. Pro *μυρίζεις*, quod habet Apostol. XII, 3, cum Leutschio lego *μαστίζεις*.

Joannes Koch de vita sua.

Natus sum Joannes Georgius Emilius Koch Regimonti a. d. V. Id. Sept. a. h. s. LXI, patre vectigalibus administrandis praefecto, matre e gente Hohnfeldtiana, adhuc vivis. Confessioni addictus sum evangelicae. Litteris elementariis domi opera fratris natu maioris imbutus annum nonum agens Collegio Fridericiano, gymnasio huius urbis, erudiendus traditus sum. Novem post annis gymnasium Berolinense, quod vocant Sophien-Gymnasium, adii et auctumno a. h. s. LXXX testimonium maturitatis adeptus sum. In academia Albertina postquam per ter sex menses in iurisprudentiam incubui, studiis antiquitatis per sexies sex menses operam dedi. Tum per bis sex menses inde ab vere a. h. s. LXXXV scholis in academia Berolinensi habitis interfui. Praeceptoribus usus sum professoribus cl.:

Regimonti: **Friedlaender, G. Hirschfeld, Jeep, Jordan †, Ludwich, Ruehl, Sommer, Thiele, Tschackert, Walter**;

Berolini: **Curtius, Diels, Feller, Furtwaengler, O. Hirschfeld, Kirchhoff, Robert, Vahlen**,

quibus omnibus gratias ago quam maximas. Studia mea non interrupi nisi ut stipendia mererem.

Prid. Id. Febr. h. a. examen pro facultate docendi, prid. Kal. Mart. h. a. examen rigorosum sustinui.